

formam vitae frugalioris, et si tractatio non placeat, haud facile redibunt. Secundo, Martha a Domino reprehensa est, quod sollicita esset circa plurima, nempe ferula paranda. Christus quoque hominum millibus frugalem mensam posuit. Salomon in Proverbiis postulat tantum sibi tribui victui necessaria. Tertio ait, in communi hoc statuendum esse, ut cibaria quae promiscue omnibus apponuntur, eiusmodi sint, quae cum viii prelio, tum parvo etiam negotio comparentur, omniumque necessitati satisfiat; servata simul omni munditia mensae, et elegantia. Sic b. Ephrem (in doctrina varia): *Monache, inquit, si accesserit ad te monachus, sive saecularis quispiam, noli supra vires offerre te ei, ne post fratris discessum dolens de bonis insumptis apud fratres tuos, sed appone quod tibi Dominus largitur. Melius est enim apponere olera cum charitate, quam victimas cum tristitia: hilarem enim datorem diligit Deus.* Quod autem monachus in adventu hospitum de severitate consueti sui seculi relaxare aliqui possit, ad recreandum hospitum, docet b. Prosper (lib. 2. de vita contemp. c. extr.), et Ioannes Cassianus (coll. 21. cap. 14. et 24. et coll. 24. cap. 20. et 21).

HOMILIA XXVII.

Aurea apponitur catena hodierni evangelii ex doctrina sanctorum Patrum, et ex aliis a nobis excoogitatis contexta; quae tam literallem, quam moralelem illius sensum amplectitur.

§. I.

INTRAVIT IESUS IN QUODDAM CASTELLUM.

Quamvis d. Anselmus, et Innocentius III. (serm. de assumpt.) mystice loquentes, videantur per castellum intelligere arcem, quae figuram, et typum Deparatae Mariae gerat; asserere tamen in sensu literalis, prout quidam indolite asseruerunt, per castellum arcem significari, quod *Magdalenam* appellabatur, unde Mariae cognomentum fuit *Magdalena*, et sapientes ad risum provocavit, et haereticos calumniamdi occasionem praebuit. Nam certe castellum hic idem est, quod pagus, aut oppidum, non arx, quae in ipso oppido sita esset. Erat autem illud castellum *Bethania*, ut constat ex d. Ioanne (cap. 11. et 12.) quae et distabat stadiis quindecim ab Hierusalem, ut ibidem habetur. Quod vero dicitur, castellum illud esse *Marthae*, et *Mariae*, non ex eo dicitur putari debet, quod ipsae essent dominae illius castelli, sed quod in eo habitarent, quemadmodum *Bethsaida* dicitur *civitas Petri*, et *Andreae*: (Ioann. c. 1) non quod Domini, sed quod habitatores illius ipsi essent: maxime quia nullibi legitur, Iudaeum ullum prae-

sertim tempore, quo Romani dominabantur, ullius oppidi dominum fuisse. Ac tandem, quod nonnulli in dubium vertunt, an solus Christus intraverit in illud castellum, non vero discipuli, quia d. Lucas ait: *Factum est, dum irent, et ipse intravit in quoddam castellum: per quae verba significari contendunt, quod solus ipse intraverit.* Certe verosimile non est, ipsam diversisse ad cibum capiendum absque discipulis, qui illum comitabantur. Dicitur ergo, ipsum intrasse, non ad excludendum quod illi intravit; sed quod ipse solus cogitavit in eum locum divertere, quia cum vel castellum illud non esset recta via, vel certe non videretur tunc tempus divertendi, alii de eo cogitare non poterant. Sed ad Patres iam accedamus mysticam eorum interpretationem in medium proponentes.

D. Bernardus (serm. 5. de assumpt.) ait: *Quod est autem hoc castellum, nisi cor humanum, quod priusquam Dominus ad illud veniat, cupiditatis fossa vallatur, murosque obstinationis clauditur, atque in interiori sua latitudine Babylonica turris erigitur. Tria certe in omni oppido sunt maxime necessaria: victualia, quibus incolae illius sustententur: munus, quae protegantur: arma, quibus hostibus resistant. Sic ergo et huius castelli incolae victum habent, voluptatem corporis, et saeculi vanitatem, quibus pascuntur: habent, et quae teguntur, proprii cordis durtitiam, ut verbi Dei sagittis potentius viae, aut nunquam penetrari valeant. Acineti sunt armis, carnalis scilicet sapientiae argumentis, quibus contra hostes repugnant. Unde scriptum est: *Filii huius saeculi prudentiores filius lucis in generatione sua sunt.* Ad vero Christo visitante, et intrante, castellum hoc evertitur, et pro eo novum aliud pulchrum, ac spirituale constructur: impleturque quod dicitur: *Si qua in Christo nova creatura, vetera transierunt, et ecce facta sunt omnia nova.* Sublata quippe cupiditate, expanditur ingens sinus desiderii, ut ad eius adventum multo magis anhelet mens ad coelestia, quae prius terrenis incuberat. Iam ponitur murus continentiae, antemurale patientiae. Surgit autem hoc corpus a fundamento fidei, et crescit per dilectionem proximis usque ad charitatem Dei, quae est in superiori tabulatu, et in propugnaculis eiusdem muri: quia nimirum tunc perfecta est virtus continentiae, quando in unitate fidei cum proximis communitate viventes, non supplicii metu, nec humanae laudis appetitu, sed solo dei amoris obtentu, a peccatis non continemus; haec ille.*

D. Anselmus (serm. de assumpt.): *Quid, inquit, ad gloriam Dei Genitricis lectio ista pertinet, ut in festivitate eius legatur, ad laudem eiusdem Virginis, et matris Iesu, humiliter aggredior scribere. Licet ergo castellum alias malum significet, ut illud, de quo dicitur: *Ite in castellum, quod contra vos est; tamen hoc castellum, in quo intravit Iesus, singularem, intemeratam Virginem eiusdem Iesu genitricem, per similitudinem accipimus. Castellum enim dicitur quaelibet turris, et murus in circuitu eius, quae duo sese invicem defendunt, ita ut hostes per murum ab arce, et a muro per arcem arceantur. Huiusmodi ergo castello non in-**

congrue *Virgo Maria assimilatur, quam virginitas mentis, et corporis quasi murus ita undique vallavit, ut nullas unquam libidinis ad eam esset accessus, nec sensus eius aliqua corrumperet illecebra. Et quia virginitatem, cum libido non possit, solet impugnare superbia, est in eadem Virgine turris humilitatis, quae a muro virginitatis omnem repellit superbiam. Et quia humilitatem, cum superbia non possit, solet impugnare libido, murus virginitatis a turris humilitatis omnem repellit libidinem. Itaque haec duo, murus videlicet virginitatis, et turris humilitatis ab alterutro ita munitur, ut nunquam in humili Virgine fuerit, nec superbia virginitas, nec inquinata humilitas. Singulare castellum fuit *Virgo Maria*: quaevis enim et multae aliae murum virginitatis habent, et turrim humilitatis, idest, et humiles sint, et virgines; tamen, et salca virginitate matres esse non possunt, neque filios generare, quod dicta sola fecit: ideo castellum hoc merito quoddam, idest singulare dicitur, quia ista singulariter, et mater, et virgo, quod nulla alia esse potuit, vel poterit, esse meruit. Verum concedamus, aliquam et matrem esse, et virginem, quaevis per naturam sit impossibile, etiam sic *Virgo Maria singularis erit, quia unicum Dei filium genuit, qui sicut est unus unico Patri, ita et unicus unicae matri; et ideo etiamsi virgo pariat, nulla vel eundem, vel talem generabit filium.* Est ergo castellum quoddam, in quod intravit Iesus; porta vero, per quam intravit, idest: *fides*: quia enim creditur, perfecta sunt a Domino quae et ab angelo dicta sunt, sicut ait ad eam *Elsabeth*. Nec quia Iesus intravit, castellum hoc violatum est: Iesus enim saepe, non violat: confraeta solidat, non confringit solida, secundum enim nomen eius, ita et opus eius; haecenus d. Anselmus.*

Summus Pontifex Innocentius III. (serm. 1. de assumpt.) versans haec verba: *Intravit Iesus in quoddam castellum, postquam dixerat mystice loquens: Castellum illud quod intravit Iesus est Virgo Maria, quando Verbum caro factum est, quae, quomodo verificetur, quod vere intraverit in uterum Virginis: Nam, inquit, secundum divinam naturam non intravit, cum intus iam esset propter suam immensitatem; quod autem intrat, de foris venit: non ergo intravit inquantum Deus. Non etiam intravit secundum naturam humanam: nec enim Virgo quippiam ab extrinseco agente in utero suo recepit, sed concepit interius ex Spiritu sancto virgo manens: non ergo intravit in eam in quantum homo; respondet, quod cum secundum philosophos, initium existendi ingressus in substantiam appelleretur, quaecumque res habet initium, habet pariter ingressum. Unde cum Verbum Dei secundum humanitatem assumptum incooperit esse in utero virginis, profecto secundum eandem intravit in illum, non de foris veniens, sed intus assumens.*

Ad haec, ut expendamus verbum illud: *Intravit Iesus*, observa frequens esse in sacris litteris, dicere Deum intrare, cum praeraculum aliquod opus paraturus est. Intravit Dominus in civitatem templum purgaturus: intravit in convivium, ut hominem veste nuptiali non

vestitum a convivio excluderet. Sic nunc intrat in castellum *Marthae*, ut supremo suo magisterio, vitam activam, et contemplativam approbaret, et hanc illi praerferret. Arbitror autem, non vocatum intrasse, et satis indicat Evangelista, in inde intelligamus, tantam esse divinae misericordiae magnitudinem, ut nullis nostris praecedentibus meritis nos adiuvare dignetur. Unde Apostolus ait, faceret dilexisset; antequam quidquam boni faceret; et (1. Regum 19) legitimus, Saulen quaerentem asinas in regem elegisse, et Davidem pascentem oves ad culmen regiae dignitatis exivisse.

Tandem, licet obiter id dicam, cum de Christo dicitur, quod ambulabat per castella, et d. Lucas testetur in praesenti Evangelio, quod *Iesus intravit in quoddam castellum*, ubi praecleara villae documenta Mariae, et *Marthae* praebuit, volens prius eas pascere, quam ab eis pascere, exemplum non contemendum divini verbi praecognitionibus proponitur, ne dedignantur, ad oppidula, seu castella, quod idem est, ad praedicandum Iesu Christi Evangelium divertere. Quemadmodum enim Christus Dominus pro divitiis, et pauperibus, pro despectis, et honoratissimis hominibus non solum verbum, sed et sanguinem suum fudit; ita concionatores spiritum Christi habentes, non solum in optentissimis civitatibus, ubi principes, et magistratus, ac magis nobilium caetera habitat, sed in pauperissimis oppidulis, ubi nonnulli egeni, et rustici commorantur, verbum divinum disseminant, fidelium animabus prodesse magis, quam populi auram venari satagentes.

§. II.

MULIER QUAE DAM MARTHAE NOMINE EXCEPIT ILLUM IN DOMUM SUAM, ET IUCI ERAT SOROR NOMINE MARIA.

Divus Bernardus reddens rationem (serm. 2. de assumpt.), quare hic *Lazarus* non nominetur, sed solum utraque soror eius? respondet in haec verba: *Intrat domum Salvator, quam Lazarus mundat, ornat Martha, et Maria replet internae dedita contemplationi. Sed forte curiosus quisquam requiret, cur in praesenti evangelica lectione nulla prorsus Lazari mentio fiat? arbitror sane, ne id quidem a proposita similitudine dissideret. Virginitatem etenim domum ingredi volens Spiritus, sicut non incongrue potentiam, quae malum atque comminatur: absit enim ut proprii quicquam inquinamenti domus haec aliquid Lazarus habuisse dicitur, ut in ea proinde scopis Lazari quaereretur; haec divus Bernardus, mystice, et spiritualiter respondens. Sed secundum literallem, et historicum sensum puto, Lazari mentionem non factam ab Evangelista, quia tunc ibi non aderat ille, quando Christus divertit. Etenim si adfuisset, minime eum Evangelista praereterit; nam et ille aliquid in Christi subsidium fecisset, nec Martha se solum in ministerio derelictam quaereretur, aut certe non de sola sorore Maria, que-*

sed et de Lazaro forte apud Christum queri proposuisset.

Idem etiam divus Bernardus (*serm. 2. de assump.*) praedicata verba Virgini accommodans, ad saepe alibi faciliare solet, haec melliflua verba protulit: *Sed quid introisse cum dicimus in castellum? etiam in angustissimum virginalis uteri diversorium introitit. Denique et mulier quaedam excepit illum in domum suam. Felix mulier, quae iam non exploratores Hierico, sed potius fortissimum illum spoliatorem stulti illius, qui vere, ut luna mutatur: non legatos Jesu filii Nave, sed ipsum magis suscipere meruit verum Jesum filium Dei. Felix, inquam, mulier, cuius domus, Salvatore suscepto, inventa est munda quidem, sed plane non vacua. Quis enim vacuum dixerit, quam salutem angelus gratia plenam? neque hoc solum, sed adhuc quoque in eam superuentum asserit Spiritum sanctum: ad quid putas, nisi ut etiam superimpleat eam? ad quid nisi, ut adveniente iam Spiritu, plena sibi eodem superveniente, nobis quoque superplena, et superfluens fiat? Ulinam fluant in nos ayomata illa, charismata scilicet gratiarum, ut de plenitudine tanta omnes accipiamus. Ipsa nempe mediatrix nostra, ipsa est, per quam suscepimus misericordiam tuam Deus: ipsa per quam, et nos Dominum Jesum in domos nostras excipimus.*

Deinde (*serm. 3.*) ait: *Martha igitur in domum suam Salvatore in terris suscepti: Maria potius cogitat quemadmodum suscipiatur ab ea in domo non manufacta, aeterna in coelis: forte tamen et ipsa Dominum suscepisse videtur, sed in spiritu: Dominus enim spiritus est; haec divus Bernardus.*

Divus Augustinus (*de verb. Dom. sup. Eeang. Luc. serm. 26. tom. 10.*) haec habet: *Suscipit eum Martha, sicut solent suscipi peregrini; sed tamen suscepit famula Dominum, aegra Salvatore, creatura creatorum: suscepit autem spiritu pasceda, in carne pascedum. Voluit enim Dominus formam servi accipere, et accepta forma servi in illa pasci a servis, dignatione, non conditione. Nam et ista dignatio fuit se praebere pascedum: habebat carmen, in qua esuriret quidem, et sitiret; sed necesse, quia in eremo esurirent angeli ministrabant? Ergo quod pasci voluit, pascenti praestitit. Quid autem mirum, si et de sancto Helia praestitit viduae, quem per suo corvo ministrante pascebat? nunquid pascedo defecerat, quando ad viduam mittebat? non, sed religiosam viduam per obsequium exhibuit seruo suo, benedicere disponebat. Sic ergo susceptus est Dominus, tanquam hospes, qui in sua propria venit, et sui eum non receperunt; sed quotquot receperunt eum, dedit eis potentiam filios Dei fieri: adoptans seruos, et liberos faciens: redimens captivos, et sciens cohaeredit. Martha ergo Dominum pascere disponens, et praeparans se, circa frequens ministerium occupabatur; Maria vero soror eius pasci a Domino magis elegit: deseruit quodammodo sororem suam circa multum ministerium laborantem: et sedit ipsa ad pedes Domini, et vacans audiebat eius verbum. Auris fidelissima audiebat: vacare, quoniam suavis est Dominus; sic ille.*

Divus Anselmus (*serm. de assumpt. beat. Mar.*) inquit: *Alii hospitem quemlibet in domo sua suscipiunt: ista non quemlibet, sed proprium Dei Filium, qui non habet ubi caput reclinat, non in domo, sed in utero suscepti. Alii nudum quemlibet veste mutabili, atque corruptibilis undebet composita, operiunt: illa Verbum Dei in eadem virginea carne in unitate personae assumpsit, quae sine fine incommutabilis, atque incorruptibilis permanet. Alii quemlibet esurientem, et sitientem cibo, vel potu exteriori reficiunt: ista Deum, et hominem humanitatis indigentem, non solum exterioribus cibis, vel potibus pavit, verum etiam interiori suo lacte aluit: et breviter illa secus misericordiae opera percurramus, quae cum uni ex minimis suis sunt, Deus sibi facta confletur.*

Divus Gregorius (*lib. 6. mor. cap. 28.*) admodum sensum duas sorores Mariam, et Martham revocans, egregia haec scribit: *Quid per Mariam, quae verba Domini residens audiebat, nisi contemplativa vita exprimitur? quid per Martham exterioribus obsequiis occupatam, nisi activa vita signatur. Sed Marthae cura non reprehenditur, Mariae vero etiam laudatur: quia magna sunt activae vitae merita, sed contemplativae potiora. Unde nec auferri unquam Mariae pars dicitur, quia activae vitae opera cum corpore transeunt; contemplativae autem gaudia melius ex sine convalescunt. Quod bene, ac breviter Ezechiel propheta exprimit, cum voluntaria animalia contempnata, ait: Et similitudo manus hominis subitis pennas eorum erant. Quid enim per pennas animalium, nisi contemplationis possum sentire sanctorum, quibus ad summa transvolant; et terrena deserentes, sese in caelestibus lubrant? Quid per manus, nisi operationes accipimus? quia cum in proximi amore se dilant, bona, quae praevalent, etiam corporali-ter administrant. Sed manus eorum sub pennis sunt, quia actionis suae opera virtute contemplationis vincunt.*

Eusebius Episcopus Emisenus (*hom. de assump.*) sic ait: *Omnia opera Salvatore nostri plena sunt sacramentis: quicquid ubique agit, significato est. Quod enim tunc temporis in quodam castello corporaliter egit, quotidie in sancta Ecclesia spiritaliter agit. Nam haec Ecclesia castellum est, et non quaecumque, sed forte, et insuperabile, utpole super montem positum, muro circumdatum, turribus munitum, et angulorum exercitu, virtutumque praesidiis armatum. In hoc igitur castellum Dominus Jesus quotidie ingreditur, hoc assidue visitare non deditur. In hoc a Martha suscipitur, eiusque in domum inducitur. Videamus itaque, quid significet Martha: videamus, quid significet Maria: utraque enim magnum aliquid significat. In his enim duabus Ecclesia consistit: altera enim activam, altera contemplativam vitam designat; et activam quidem Martha, Maria vero contemplativam: unde non Maria, sed Martha Christum in domum suam suscepisse dicitur: Maria enim non habet domum, quia vita contemplativa omnem huius saeculi spernit habere possessionem. Sufficit ei ad pedes Domini sedere, sufficit ei semper legere, et orare, et in Dei contemplatione vacare: sufficit ei praeterea verbum Dei semper*

audire, et mentem potius quam ventrem nutrire. Tales enim prophetae fuerunt, tales et Apostoli, tales et multi alii: omnia relinquentes, mundum fugientes, Domino adhaerentes, tanquam nihil habentes, et omnia possidentes. Hanc autem vitam non habent nisi boni: activam vero habent simul et boni, et mali. Inde enim et activa dicitur, quia semper in actu est, semper in fatigatione, et labore est; et vix aliquando in quiete esse potest. Sed nos de illa activa non dicimus, quae latrones excreat, tyrannos movet, araros sollicitat, adulteros inquietat, et omnes iniquos ad iniquitatis open incitat. Sicut enim non loquimur de alia Martha, nisi de illa, quae soror est Mariae, ita non loquimur de alia vita activa, nisi de illa, cui proxima est contemplativa. Illa enim activa, quae munda, et sine peccato est, contemplationi proxima est. Quod enim Apostolus praedicat, quod baptizat, quod manibus propriis laborat, unde vivit, quod discurrit per civiles, quod ei sollicitudo est omnium Ecclesiarum, ad quam etiam, nisi ad activam pertinet? unde et hic de Martha dicitur: quia satagebat circa frequens ministerium. Vidimus enim usque hodie, Ecclesiarum praepositos, et ministros sollicitos discurrere, laborare, astuare, et multis modis fratrum necessitatibus insudare, ut eos quoque non immerito circa frequens ministerium satagere dicamus. Quamvis igitur contemplativa vita melior sit, quam activa, quia sine sollicitudine est, et nunquam fallit; activa tamen tam necessaria est, ut ipsa contemplativa quoque in hac vita sine ea esse non possit. Altera igitur indiget altera; haec enim oral, illa laborat: altera mentem, et altera ventrem replet; unde A-postolus: Si nos, inquit, vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si carnalia vestra metamus: qui enim sic seminavit, ad supernae felicitatis contemplationem mentes audientium elevat; haec Eusebius.

Innocentius Tertius (*ser. 1. de Assumpt.*) inquit: *Audi, quomodo Paulus apostolus, tanquam activus sollicitus oral, et erga plurima turbatus. Quis, inquit, infirmatur, et ego non infirmor; quis, inquit, scandalizatur, et ego non uror? instantia mea quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum. Sed audi, quod idem ipse, tanquam contemplativus raptus est usque ad tertium coelum, et audivit arcana verba, quae non licet homini loqui. Ad hoc, tanquam ad unum aspirabat, cum diceret: cupio dissolvi, et esse cum Christo. Sed illud, tanquam necessarium sustinebat, cum adderet: Manere autem in carne necessarium est propter vos. Ergo et illa necessaria sunt, circa quae satagit Martha, et illud est necessarium, quod elegit Maria. Sed illa sunt necessaria, id est utilitatis: istud autem necessarium, id est, commodabile: iuxta quem modum in logica facultate docetur, quod aliud est verum contingens, aliud necessarium. Contingens est illud, quod ita est verum, quod possit non esse verum. Necessarium autem est illud, quod ita verum est, quod non possit non esse verum. Nomen cum Virgo dicit ad filium: Fili quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus, et ego dolentes quaerebamus te, quasi cum Martha dixisse videtur: Domine, non est tibi curae, quod soror mea reliquit me solam mini-*

strare? dic ergo illi, ut me adjuvet. Et cum ipse responderit: quid est, quod me quaerebatis, neciebatis, quia in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse? nonne, quasi Dominus videtur respondisse ad Martham, Martham, Martham, sollicita es, et turbaris erga plurima: porro unum est necessarium: Maria ergo optimam partem elegit, quae non auferretur ab ea? Haec unum optabat, et pebat propheta, cum diceret: Unam petii a Domino, haec requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae. Praeposuit unum nullis, quia sicut omnia procedunt ab uno, sic omnia procedere debent ad unum: ad illum fideliter, qui est a, et o primus, et novissimus: principium, et finis; haecenus ille.

D. Gregorius (*lib. 5. Regum cap. 4. prope finem*), putat, Martham non sedisse ad pedes Domini, sed totam occupatam fuisse in praeparando prandio ipsi Christo: unde ait: *Quae enim stetit, ei nimirum sedere non licuit: quia si ad audiendum sederet, imparatum fortasse ministerium, et insufficientem impendisset. Videns autem divus Gregorius, non posse in Martha vitam activam significari, nisi aliquo modo Christo adstisset, subitum, non quidem sedisse, et audisse Christum interrumpere per aliquas morulas, sed discurrendo hoc, et illic, et a ministerio non cessando, vidisse Christum; et in hoc significari, oportere vitam activam adiunctam sibi habere aliquam de Christo meditationem: verba divi Gregorii sunt haec: *Notandum est, quod Martha transeundo Dominum vidit, non tamen transeundo, sed stando locuta est: nam et Evangelista expressit, dicens: quae stetit, et ait. Quo profecto exemplo instruumur, ut qui fratris ministeria exhibemus, si per agram sedere ad Redemptoris pedes non possumus, per aliquantulum morulam Redemptori assistere debeamus. Sed bene et assistimus, si transeundo, et serendo videmus. Quid est autem transeundo Dominum cernere, nisi in omni nostro bono opere ad ipsum dirigere cordis intentionem? Transimus enim, quando huc, illicque discurrendo in membris suis Domino ministramus; sed transeundo Dominum cernimus, si per omne quod agimus, praesentem nobis ipsum, cui placere cupimus, contemplamur; haec ille.**

Cardinalis Toletus contrarium omnino sententiam amplectens (*super cap. 10. Lucae ann. 66.*) censet omnino dicendam, Martham quoque simul sedisse cum Maria ad pedes Domini, idque aperte significari per illa verba: *Quae etiam sedens, quae copulans sessionem Mariae cum sessione Marthae: verba eius sunt haec: Illa particula etiam coepi nos affirmare, Martham simul cum Maria sedisse ad pedes Domini ad audiendum verbum eius, licet Martha frequenter diceretur ad ministerium, praeparandasque escas: Maria autem assistiva, et permanens sederet interia doctrinae. Cum enim nulla fiat mentio in hac lectione aliorum, nisi sororum, oportet, cum dicitur etiam referre particulam hanc ad Martham, ut quoque ipsa consideret, sed non assidua, uti diximus. Ratio etiam ipsa id postulat. Non enim est verisimile, Christo intranti domum, et sedenti ac docenti, Martham nec ad minimum temporis concessisse, ut sermonis verbum, aliquid audiret. Hoc etiam*

quadrat vitae alicuae, cuius Martha figuram gerbat: licet enim magis operi, quam contemplationi student, non tamen omni contemplatione, et meditatione vacua est.

Doctissimus tamen Maldonatus (in com. lucus loc.) postquam, duabus appositis expositionibus, quarum primam consulat, secundam vero, quam cardinalis Toletus amplexus est, non sibi displicere asseruit, aliam prorsus contrariam viam ingreditur in haec verba: *Quam rem habeat dictio illa etiam, non satis apparet. Quidam sic interpretantur: quae etiam sedens sicut alias mulieres: at non nisi duarum mulierum Marthae, et Mariae mentio fit, nec est verosimile domi fuisse plures, nisi fortassis ancillas, quas non est credendum sedisse, sed ministrasse. Alii etiam sedisse, id est non solum stando, et quasi aliud agendo, sed etiam sedendo ex otio attentam, contemplandamque docentem advisse Christum. Non displicet, sed magis accommodata ad id, de quo agitur, exponi posse arbitror, ut significetur, illam non solum non fuisse sollicitam in parandis, ministrandisque necessariis sicut erat Martha; sed etiam omnino quadammodo alterius oblitam curae, ad pedes Domini sedisse, sicut sedebat Christus; hoc excepto, quod ad eius altius sedentis sedebat pedes, et mulieris, et discipulae nimirum more; haec Maldonatus.*

§. III.

SEDENS SECUS PEDES DOMINI.

Lyranus (in Lucam c.10) ex philosopho dicit (7. Physic.): *Sedando, et quiescendo fit anima sciens, et prudens. Sedatis enim passionibus, et eorum tumultibus, per exercitium virtutum moralium disponitur anima, ut libere possit elevari in contemplationem veritatis. Egrege sane hoc loco designatur vitae contemplativae eius status, et perfectio. Primo enim sedebat, quieti et otio sancto dedita, et ab exterioribus occupationibus, atque sollicitudinibus libera, et feriat. Otium enim sanctum quaerit charitas veritatis, ut d. Augustinus dicit (l.19. de Civit. c.19), et recte vocavit, otium sanctum: est enim otium illud quietis, et pacis, omnium negotiorum negotium maximum, et opus maius, ut apud Ambrosium habes (sup. Ps.118. ser.21. vers.2), de quo Apostolus dicit (ad Thessal. 4): *Quieti sitis, et vestrum negotium agatis.* Est etiam otium istud filii, quos tenere diligit Dominus, concessum: nam ut Gregorius dicit (l.26. mor. cap.16): *Omnipotens Deus, et misericors, quos tenere diligit, ab externis actionibus abscondit.* Nam et paterfamilias ad eum laborem servos dirigit, a quo filios suspendit (Ps.30): *Abscondes eos in abscondito facti tuae a conturbatione hominum.* In abscondito enim contemplationis vultus sui abscondit Dominus quos amat, ut ab exteriori negotiorum strepitu, et ab hominum turbatione sint exempti. Antea cum peccaritis, et poenitens esset Maria, stabat secus pedes Domini;*

sed iam modo illius ope sanata, et ad amicitiam eius redacta, familiariter sedebat. Secundo secus pedes Domini, Maria haec ad pedes Domini coepit sanari, et illuminari doctrina sana. Ibi primo coepit audire Dominum, et amare; ideo perseverare, et non recedit ab iis pedibus, donec perficiatur. Scriptum est enim (ad Phil.1): *Qui coepit in vobis opus bonum, ipse perficiet:* et ab Augustino (in Ioann. tract.5): *Charitas cum fuerit nata, nunciat: cum fuerit nutrita, roboratur: cum fuerit roborata, perficitur.* Sic praecipuus Mariae Magdalene amor, quae a pedibus Domini non recedebat, in hoc loco natus est, et in eodem educatus, atque nutritus. Apud illos sacros pedes roboratus est, et mirabiliter perfectus, atque consummatus. Nihil ergo mirum, si pedes illos tantopere amaret, tam firmiter teneret, nec dimitteret, eo vel maxime, quod ii, qui contemplationi divinorum vacant, non omnes eodem modo Deum inveniunt, ait Bernardus (serm. 23. in Cant.): *Thomas in latere invenit, Ioannes in sinu, Paulus in tertio coelo, Maria ad pedes Domini stravit sibi locum, in quo eam Dominus collocavit: noluit alium quaerere, ad quem eam Deus non vocabat.* Scriptum est enim (1. Cor. 7): *Unusquisque in quo vocatus est statu, in eo permaneat.* Nunquam enim contemplationis Dei perfecte vacare potest, qui per multa distenditur, per diversa vagatur, atque variare non desistit. Ait enim Dominus per Zachariam (c. 11): *Contracta est anima mea in eis: si quidem anima eorum variavit in me.* Deinde sessio illa Marthae secus pedes Domini orans, orationis utilitatem, et fructum in memoria revocat, ut eo insistamus. Sane postquam egressus est Abraham de terra sua, et venit in terram, quam monstravit ei Deus, in fervore contemplationis posito apparuit ei Dominus. Heliae fugienti a facie Iezabel, id est, virtutis studioso fugienti a facie libidinis, ostensum est quod Dominus non erat in spiritu vehementi superbiae, neque in commotione avaritiae, nec in igne luxuriae, sed in sibilo aurae tenuis, id est, quiete contemplationis, et meditationis. Iacob requiescens super lapidem, vidit scalam, et angelos per eam ascendentes, et descendentes. Sara cum ancillis suis secessit in cubiculum superius, ut meditationi, et orationi vacaret. Danieli recedenti a saeculi turba, et orationi vacanti, mysteria coelestia revelata sunt. Isaac cum habitaret in terra australi, relicta familia, ad meditando secessit in agrum. Item Iacob post transitum fluminis, solus remansens, contemplatus est angelum luculentem secum. Haisaeus cum voluit orare pro filio Semaithidis, solus remansit, et clausit ostium, et suscitavit mortuum. David meditationem, et contemplationem ferventer desiderans dicebat: *Quis dabit mihi pennas, sicut columbae, et volabo, et requiescam? Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine: expectabam eum, qui salvum me fecit, etc.* Moyses in solitudinis interiora deserti secedens, meruit videre Dominum. Ietro dixit Moysi, ut ipse praecessit populo in his, quae ad Deum pertinent, id est, in contemplatione, et meditatione. Zacharias offerens Deo sacrificium, et pre-

ces meruit videre angelum Domini, et bonum nunciium audire. Moyses in contemplatione, et meditatione positus, coelesti cibo refectus est. Samuelem in templo constitutum, et meditationi vacantem, Dominus ad se vocavit. Danieli oranti dixit angelus (Daniel.9): *Egressus sum, ut docerem te, et intelligeres, etc.* Iudith per orationem, et meditationem singularia beneficia divinitus impetravit. Esther orationis beneficio magna praestitit atque consecuta est. Dimissa turba, ascendebat Iesus in montem, ut oraret. Ioanni mundi strepitu exultanti revelata sunt coelestia mysteria: et in ipsa quiete, et tranquillitate Dominum contemplantur, et eius benedictionem reportamus, sicut fecit Iacob; non autem vagabundi, et fluctuantes eam benedictionem accipiunt, sicut etiam nec eam accepit Esau. Maria quieti se tradens, praeposita filii Marthae sorori. Petro in superiori domo oranti revelatum est gentiles non esse repellendos.

Quid plura? Maria sedebat ad pedes Iesu, quia dictum est: *Qui accedunt ad pedes eius, accipient de doctrina illius.* Sedere ad pedes humilitatis argumentum est; cuius defectu in sapientia sua philosophi turgidi perierunt, quia se humiliter noluerunt, id Apostolo attestante (ad Rom.1): *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.* Sapientes sese dicebant, et magna inscitia, et stultitia laborabant, Deum non glorificantes, et ei ut par erat, immortales gratias non agentes, a quo velut inexhausto fonte, quicquid habebant, dimanavit. Eadem fere dementia ducti Haeretici nostrae tempestatis, et qui ante hac fuere, non ad pedes Iesu sedere satagunt, captivantes intellectum suum in obsequium Christi; sed ingenti arrogantia inflati, sacrosanctae Romanae Ecclesiae mandatis parere contemunt. Unde serpentis versuti dagmata lethalia sectantes, infeliciter in dies in barathrum descendunt, commortibus poenas dantes: quos ingemiscens Ecclesia, ut est pia mater, ait: *Filii matris meae pugnaverunt contra me.* Contra Christum Iesum pugnaverunt contra me, et fragiles, quippe qui aliquando filii fuerunt huius Ecclesiae militantis, lavacro baptismatis abluti, ac proinde haeretes gloriae facti secundum praesentem iustitiam. Pugnant, inquam, ut Absalon, contra David patrem suum, armis pestiferis roborati, adulterantes Scripturas sacras, et ad sua prava desideria perperam infortquentes. Convertimini ergo filii, et ad pedes Iesu procumbite, ne forte, ut improbus Absalon, in quercu pendentes, et lanceis vulnerati, morte turpissima pereatis, dicente propheta (Ps.33): *Mors peccatorum pessima.*

§ IV.

AUDIEBAT VERBUM ILLIUS.

Operae pretium erit nunc indagare, quod verbum audiebat Maria ex ore Domini. Equidem, sancto Augustino teste, bene Martha circa corporalem Christi necessitatem ministrabat carthaginiensis de B. M. V. — Vol. II.

ni mortali, sed qui erat mortalis in carne, erat in principio Verbum apud Deum, et Deus erat Verbum. Ecce quod Martha audiebat, Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Unde tertio dicitur: *Audiebat verbum illius, quasi diceret cum Isia: Dominus mane erigit mihi aurem, ut audiam illum quasi magistrum.* Ab illo enim mane suae conversionis, quo ei otium coepit nova Lux Solis iustitiae, et ad pedes Christi posita, verba vitae aeternae audivit ab ipso, semper dilecti locum pedum eius, et sedens secus illos, audiebat Dominum, et in auditu auris ei obediebat. Illius vox erat illa David (Psalm. 84): *Audiam quod loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem super serenos suos; et in eos, qui convertuntur ad cor.* Ait: *In me, hoc est, intra me.* Ul enim inquit d. Bernardus (serm. 32. in Cant.): *Cum mala in corde versamus, nostra cogitatio est: si bona, Dei sermo est: illa cor nostrum dicit, haec audit.* Itaque pacem, pietatem, iustitiam Deus in nobis loquitur; nec talia nos cogitamus ex nobis, sed in nobis audimus. Loquitur Deus per seipsum in homine, cum inspirat ei, quae divina sunt, cum de verbo eius sine verbis cor docetur, ut d. Gregorius ait (lib. 28. Moral. cap. 2), cum occulta vi, quae agenda sunt, intima, et repentina luce ignorantiae nostrae tenebras illustrat. Loquitur pacem super sanctos suos, qui contemplationi vacare volentes, convertuntur ad cor suum, et clauso illo, solum audiunt pacis verba ex ore Dei. Sed quae verba, nisi pacis procedant a Deo pacis quid enim loquatur Deus nisi ea, quae cogitat (c. 29): *Ego cogito cogitationes pacis, ait Dominus per prophetam Hieremiam.* Has cogitationes suas, antiquas, fideles, et pacificas loquitur Deus super sanctos suos, orationi, ac divinorum contemplationi vacantes. Has audiebat Maria ad pedes Domini, cum audiebat verbum illius: ex quo enim dimissa sunt illi peccata omnia ad pedes Domini, ex quo dilexit multum, ex quo audivit verbum illud bonum, verbum consolatorum: *Vade in pace, semper audivit verba pacis, semper habuit cogitationes pacis, et non afflictionis; et in altissima contemplatione, quasi in visione pacis obdormiebat.*

Ceterum iam de efficacia divini verbi non nihil dicamus. Notum est, nihil esse potentius ad turrim lapideam everterendam, quam ignem, qui turres munissimas facillime demouit, ac moenia firmissima avolare facit. Ut tamen ille efficacius operetur, invenit humana industria pulverem sulphureum, qui ex se quidem nihilo magis est efficax, quam tenuis, debilisque pulvis, quem proicit ventus; si tamen ei applicatur ignis, subito potens flamma succenditur, quae montes ipsos firmissimos absque ulla resistantia transverit. Procaravit Deus peccatores in peccatis suis, tanquam turres firmissimas obfirmatos, quos deificos in factibus suis vocavit propheta Sophonias, ab illo statu perditionis avocare. Ad id autem usus fuit vitellus ignis: quisnam ignis, nisi verbum ipsius, de quo ipse dicit (Hierem. 23): *Quid palis ad tritum? nonne verba mea, sicut ignis, et quasi malleus conterens petras? quasi dicit: verba hominum sunt, sicut paleae, quas fa-*

cile ventus rapit; verba autem mea sunt sicut triticum in cibum animae. Verba hominum sunt frigida, velut glacies; verba autem mea ardent, sicut ignis. Verba hominum sunt infirma, et futilia; mea autem efficacia, instar mallei conferentis petras. Potentissimum certe est verbum Dei, quod potuit ex nihilo extrahere mundum, coelos, stellas, terram, et omnia, quae facta sunt. Ipse namque dixit, et facta sunt, etc. unde et vocatur *Omnipotens sermo*. Huiusmodi ergo Verbi divini ignem consuevit Deus applicare, cum admiranda vult opera perficere. Quis videret Saulum furis inventum, dicitur pectore virus efflantem, equo insidentem, currentem, festinantem, ut Christianos perderet? voluit Deus turrim istam solo aequare, id praestitit, immittendo ignem illum verbi sui (Act. 9): *Saula, Saula, quid me persequeris?* ad hanc namque vocem subito cecidit in terram fortissimam illa turris, et in totum a summis ad ima mutatus. *Domine*, inquit, *quid me vis facere?* Erat quidem civitas illa Ninive magna mole itinere trium dierum, sed maior multo malitia, quae ad coelum usque peringeret. De Ninive autem dixit (Jon. 1): *Pervenit usque ad coelum malitia eius*. Voluit eam ab illo statu educere: misit Ionam, qui ignem suae divinae sententiae, et comminationis ei inflamaret: *Vade*, inquit, *ad Ninive, civitates magnam, et loquere ad eam praedicationem, quam ego loquor ad te*: et quaecumque illa (Jonas 3)? *Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur*. Abiit Ionas, verbi divini ignem applicuit, et subito tota civitas, ut sanctus Augustinus considerat, quasi in altum iactata eversa fuit, non secundum materialia aedificia, sed secundum peccati statum. Omnes videres cives in viros alteros mutatos, mutantem musicas in fletus, risum in laerymas, cultum vestium in cilicium, comessiones, et ebrietates in parsimoniam, et ieiunium. Reversus est enim unusquisque a via sua mala: pervenit vis ignis ad regale palatium, et regem ipsum penitus everit: surrexit enim de solio suo, et in terram se demisit, regales vestes in horridum saecum commutavit, splendidam mensam deposuit, epularum ingluviem in victum temperatissimum convertit: tanta est divini verbi vis, et efficacia. Qui igitur fieri potest, ut cum divini verbi tanta sit vis, in nobis nihil penitus operetur? quot quantaque Dei verba audisti? et tamen nihil de malitia deposuisti: non demististi adulterium, non restitisti quae furto per usuram sublata tenes, non peperisti inimico, nec sacrificium periurandi consuetudinem deposuisti. Sunt ne Dei verba, quae vobis proponimus, an a nobis confecta? annunciamus ne doctrinam coelestem, an quam quis nostrum apud se confixit? videtur namque non Dei verbum esse, quod nullum effectum producit, neque ignem a nobis applicari, qui nullatenus corda hominum calefaciat. Ceterum non dubium esse potest, verba Dei a nobis proponi: talia enim sunt, quae catholica Ecclesia Romana, quae sponsi sui vocem agnoscit, proponenda exponit. Rem tamen admirabilem ex parte, quae hanc difficultatem absolvit. Referunt Plinius, et Suetonius rem stu-

pendam, quae in defunctione Germanici accidit. Fuit Germanicus, vir illustrissimus, pater imperatoris Caii Caligulae, quem Romani omnes summo prosequerantur amore. Unde cum occubisset per venenam ei occulte propinatam a Tiberio, totus populus ingenti luctu mortem illius prosecutus fuit; et funus nobile exequi volentes, corpus eius comburere staterunt, ut in cineres redactum, aurea urna includerent, sicuti in principum funere agere consueverunt. Grandi praeterea igne super tabulam alabasterinam superpositam corpus combustum fuit; cinerem tamen colligere volentes, invenerunt cor penitus intactum, quod nec flammarum, nec prunarum ardore poterat comburi, nec poterat, quantumcumque prunis ardentissimis circumdaretur, immo nec succendi, aut calefieri. Intellexerunt, veneni malitiam illud occupasse, et obdurasse, et ita constrinxisse poros, ut nullum ingrediendi locum calori concederet. Probatissima theriaca illud miserant, cuius vi venenum enervatum fuit; potuitque tunc facile ignis illud penetrare, succedere, et inflammare. Certum est, potentius esse Dei verbum quovis igne, nihilominus tamen cor tuum non penetrat, nec inflammat, quamvis iterum, atque iterum applicetur, quia veneno obduratum constrictumque tenetur: veneno inquam concupiscentiae, quod antiquus serpens invenit; hoc totum cor tuum occupat. Concupiscentia pecuniae cor avari constringit, et obdurat; concupiscentia delectationis cor lascivum exaestuat; honoris, et humanae gloriae aura cor superbi occupat; haecque causa fuit, cur Deus conquereretur, dicens (Psal. 68): *Laboravi clamans: raucae factae sunt fauces meae, et tamen nihil profeci. Est etiam alia causa non proficiendi, dum Dominus loquitur, quod verba eius non custoditis; dictum est autem: Beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud: cui consonat, quod eos, qui verbum retinent, fructum afferre dixit Dominus. In cuius explanationem, et confirmationem adnotant Augustinus, et Gregorius illam egregiam Spiritus sancti sententiam: *Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis; vir autem stultus gluit illum*. Divinum verbum apte vocatur *Thesaurus*, in quo omnia bona, omnesque divitiae continentur. *Desiderabilis*, dicebat David (Ps. 18), *super aurum, et lapidem pretiosum multum*. Hic thesaurus requiescit in ore sapientis. Quid nomine oris intelligendum? cor ipsum, de quo David dicebat (Psal. 125): *Tunc repletum est gaudio os nostrum*. Unde d. Augustinus (in Ps. 125): *Os, fratres mei, inquit, quod habemus in corpore, quomodo repletur gaudio? non solet impleri, nisi aqua, aut cibo, aut potu, aut aliqua re tali missa in os: impletur aliquando os nostrum, et quando plenum os habemus, loqui non possumus. Habemus autem intus os, id est in corde. Unde admonemus charitatem vestram, ut ea, quae audiendo, tanquam ventre memoria conditis, rursus revolendo, et cogitando, quodammodo ruminetis. Hoc est enim: *Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis; vir autem stultus gluit illum*. Brevier dixit: *sapienter ruminat, stultus non ruminat, hoc est: sapiens cogitat ea, quae audivit, stultus autem audita***

oblivioni tradit. Neque enim propter illud in lege munda ea dicta sunt animalia, quae ruminant, immunda, quae non ruminant; nam creatura Dei omnis munda est: et artifices Deo tamen mundus est porcus, quam agnus. Creavit enim omnia valde bona: et omnis creatura bona est, dicit Apostolus, et omnia munda mundis. Cum ergo in natura utrumque sit mundum, significatio tamen agnus significat aliquid mundum, porcus significat aliquid immundum. *Astus* significat innocentiam sapientiae ruminantis; *hactenus* Augustinus. Sane loqui videtur Spiritus sanctus metaphora ab aromaticis massulis mutata. Confiuntur istae massulae ex rebus cordialissimis, valde suaveolentibus, sapidis, et aromaticis. Vir cordatus, dum aliquam earum recipit, retinet in ore illam, ut paulatim humiditate linguae liquefcat, sique virtus eius roboret cor, emolliat pectus, corripit oris foetorem, et anhelitum; qui vero stultus est, gluit eam, profectum, qui ex ea decerpere posset, minime capiens. Unde talis permanet, postquam eam deglutivit, qualis ante erat, eundem oris foetorem, eandemque cordis compressionem retinens. Verbum Dei est quasi massula confecta ex omnibus divinae apothecae cordialibus medicamentis, et aromaticis: *Virus Dei est*, inquit Paulus (ad Rom. 1), *in salutem omni eradenti*: roborat imbecilles, cor infirmum confortat (Psal. 32): *Sustinit anima mea in verbo eius*; et salutem praestat in desperatis infirmitatibus (Sap. 16): *Non enim herba, aut malagma sanavit eos, sed sermo tuus, qui sanat omnia*. Igitur sapiens ore cordis tenet eam, et versat, et illa gustum recreat, cor reficit, mentem purgat, voluntatem inflammat. Stultus autem gluit eam, statim ac audit: ab ore cordis in oblivionem transire facit, et nunquam amplius eius recordatur; ideoque talis remanet post multas coniectiones auditas, qualis antea erat. Hi similes sunt hederaceo vasculo ex hederarum radice confecto, de quo, tanquam rem experientia comprobata, refert Pierius (lib. 51), quod vinum defaecatum, et purum nullatenus retinet; si vero infundatur vinum aqua mixtum, aquam firmiter conservat, vinum per poros transfluere sinit. Multi sunt, qui si praedicator vinum purum infundat, evangelicae evangelice praedicans, non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus, et virtutis, nihil prorsus retinent, non conservant, instar Virginis, verba Dei in corde suo; si autem quaedam fabulosa, et placenta loquatur, illa tenacissime retinent, nunquamque eorum obliviscuntur.

Quae etiam sedens secus pedes Domini, audivit verbum illius. Observa, quod Christus ubique praedicabat: eadeb autem, ut praedicator, non praedicabat, ut ederet: neque quatuor ex praedicatione faciebat, ut multi faciunt. Observa, quod Maria convivii penitus oblita spiritu vacabat, cum nos et contrario, propter cibum corporis praeparandum, spiritum negligamus, et fastidiamus. Observa Christum, in ipsis aedibus, dum cibus pararetur, a cibo spirituali dando non destitisse. Hinc sacerdo-

tes, et religiosi intelligunt, dum aliorum domus ingrediuntur, debere omnem a se expellere levitatem, et ea magis loqui, quae faciant ad proximi aedificationem, et vitae emendationem, ut sic plura largiantur, quam recipiant. Hinc Paulus (1. Timot. 4): *Exemplum tunc fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, atque castitate*. Observa, Mariam ad pedes Domini sedere elegisse, quod argumentum fuit humilitatis, et docilitatis illius: nam qui se tales non praestant, discent nunquam; ubi autem humilitas, ibi sapientia. Videtur autem sumpta metaphora a docente, qui sedere solet in cathedra altiori, et auditores, velut ad pedes eius assidere. Unde Paulus ait de se (Act. 22): *Secus pedes Gamalielis eruditus iuxta veritatem paterna legis*: et (Deute. 33): *Et qui appropinquat pedibus eius, idem Dei, accipit de doctrina illius*. Hinc d. Augustinus ait (ser. 27. de verb. Dom.): *Quanto autem humiliter se habeat, tanto amplius capiat: confuit enim aqua ad humilitatem convallis*. Observa, recte per pedes Domini intelligi eius humanitatem portantem deitatem, tanquam pedes caput, ad quos pedes omnes virtutes addiscuntur. Haurit ex his conlatione ad labores, responso ad difficultates, victoria contra tentationes, et reflecto ad alendum spiritum. Observa etiam praedicatorum a Deo missos pedes esse Domini portantes Christum, qui est Evangelium nostrum, de quo Dominus ad Ananiam (1. ad Rom. 10): *Vas electionis est mihi iste, scilicet Saulus, ut portet nomen meum, de quibus etiam dicitur: Quam speciosi pedes evangelizantium pacem*. Ad hos pedes humiliter oportet eos, qui volunt Evangelico margarito ditari; nec semel ad eos accedere oportet, sed iterum, atque iterum, ut frequentatione coelestis irrorationis mollescat cordis duritia. Ut enim quidam poetaurum dixit:

Gutta cavat lapidem, non his, sed saepe cadendo;

neque uno, aut altero ictu securis arbor inagna cadit: neque muri Hierico omni circuito sacerdotum turbas pulsantium corrumpit, sed pluribus, ut intelligas, quanti referat iugis verbi Dei auditio, ac frequens eius meditatio.

§. V.

MARTHA AUTEM SATAGEBAT CIRCA FREQUENS MINISTERIUM, QUAE STETIT, ET AIT: DOMINE, NON EST TIBI CURAE, QUOD SOBOR MEA RELIQUIT ME SOLAM MINISTERARE? DIC ERGO ILLI, UT ME ADIUVET.

Doctissimus Maldonatus hunc locum versans, in hunc modum explicat: *Satagebat circa frequens ministerium. Graece: distrahebatur, turbabatur, tota negotiosa erat, et occupata in ministrando. Ministerium appellat, non opiparum, opinor, convivium, sed solitudinem mulieris quaerentis quibus rebus Christo gratificare posset, et suam erga illum charitatem declarare.*

Utrumque proculdubio ex charitate proficiebatur: quod atquebat, id est, tanto excepto hospite, sollicita erat, qua ratione illi satisfaceret; haec ille. Quod autem subdit: *Domine non est tibi curae, non solum hoc loco lego, sed apud Marcum: nam ut in nostra vulgata cap. 4. vertit, magister: Non ad te pertinet, quod perimus?* Graecus interpres legit: *Non est tibi curae tibi, quod perimus?* quasi dicat: ut tuae curae est, et ad te spectat advertere, et providere, ne peccemus, illa similiter loquitur hic Martha: *Non est tibi curae, quod soror mea reliquit me solum ministrare?* Interpellat, ait d. Aug. (*serm. 26. de verb. Dom.*). Martha hospitem: ad Iudicem deponit postulationem querelarum, quod eam soror deseruerit, et sic laborantem in ministerio adiuvari neglexerit.

An autem verba haec Marthae murmurationem, invidiam, aut similem aliam imperfectionem redolent, non est una omnium sententia. Nam quidam doctores, quibus ego assentior, illa commendant, et ab omni labe immanis arbitrantur. Etenim d. Greg. (*lib. 5. in lib. Regum c. 4. prope fin.*) affirmat, haec verba Marthae processisse ex quadam confidentia erga Christum, quam ei dabit labor pro eo assumptum in cibis praeparandis, accommodatque ex laborantibus in vita activa: verba ipsius sunt: *Notandum, inquit, est, quia Martha confidenter loquitur, dicens: Domine non est tibi curae, quod soror mea reliquit me solum ministrare? quod certe perfectis quibusdam operariis sanctae Ecclesiae convenire videtur, qui omnipotenti Deo preces tanto fiducialius offerant, quanto laboriosius ei in membris suis ministras meminerunt; haec ille.* Eruditus etiam Maldon. (*super c. 10. Luc.*) Marthae verba in hunc modum excusat: *Non id quidem ex indignatione dicit, sed ex magno quodam affectu servienti dilecto magistro suo: arbitrata ambas, et omnes ad illud ministerium, prae magnitudine desiderii sui digne praestandum, nequaquam sufficere. Timebat enim ne quid deesset, quod ad magistri spectaret obsequium, vel quod eius oculos offenderet.* Cardinalis Toletus (*sup. cap. 10. Luc.*) inquit: *Prudenter, et reverenter Martha, non ad sororem, sed ad Christum sermonem convertit. Sciebat enim sororem Christi eloquio ita illectam esse, ut nullis dimoveretur precibus, nisi iussu Christi. Animadvertit etiam, non decere eam propria voluntate a Christo averti, nisi ipso iubente: ideo prudenter, et reverenter non sorori, sed Christo loquitur.*

Divus Bonaventura (*super cap. 11. Luc.*) ait: *Martha laboriosa conqueritur de Maria otiosa, quasi quae non possit sola pondus laboris portare, secundum quod conquestus est Moyses Domino (Num. 11): Non possum solum sustinere omnem hunc populum, quia gravis est mihi; sic etiam Martha propter oneris gravitatem quaerebat auxilium Mariae, sciens pertinere ad legem Christi illud (ad Galat. 6): Alter alterius onera portate. Ideo secure requirebat Christi iudicium, ut sororis impetraret auxilium.*

Ac tandem summus Pontifex Innocentius Tertius (*serm. 1. de assumpt.*) ait: *Non haec Martha dicebat, tanquam invideret Mariae, et quod ipsa laboraret, et illa quiesceret; sed quod acti-*

*va, cum sibi non sufficit, propter difficultates rerum, vel ambiguitates causarum, auxilium contemplativae requirit; ut quod ipsa laborando, vel operando nequit efficere, illa orando, et supplicando valeat impetrare: quia cum Moyses orabat in monte, Ioseph vincibat in calce: haec tenus ille. Ecce laudat Martham, quod a Domino auxilium implorat: inter media vitae activae ministeria. Quo monemur, non ad id impense occupationibus exterioribus vacandum, ut ad Deum facultatis orationibus configere omnino desistamus. Unde Apostolus dixit (1. Timot. 2): Volo viros orare in omni loco, levantibus puras manus. Ecce dum ait, in omni loco Deum invocandum, frequentiam orationis monet. Quod vero manus puras elevare hortatur, ad opera sancta pertinere arbitror vitae activae: quae oratione condiri debent, ut divino palato sint dulciora. Quid? quod vita activa infirma est, nisi a contemplativa iuveatur. Esau qui quendam typum vitae activae gerebat, fame peribat, nisi Iacob vitam contemplativam adumbrans, cibaria illi praeberet. Unde Cassianus ait (*lib. collat. sanct. Pat.*), sanctos filios eremitas in mediis occupationibus externis frequenter reperere solitos: *Deus in adiutorium meum intende. Domine ad adjuvandum me festina.* Hoc enim iuvamine maxime indigent ministeria vitae activae: maxime cum sint valde gravia, et onerosa: alioquin opus erit ab eis cessare, vel omnino ea deponere, sicut facere tentavit Moyses, ut legitimus (Num. 11). Hinc d. Gregorius (*in prim. lib. Reg. lib. 5. cap. 4.*) inquit: *Non defuit illi tempus, atque commoditas ad aliquid cum Deo tractandum: quo plano erentem instruimus, quod fratribus nostris servientes, et ministrantes, locum etiam habeamus, et tempus ad Christi pedes in tranquilla contemplatione sedendi: saltem modico tempore, quo instantes nos humiliter, ac devote deo conspectui praesentemus.**

Denique, quod et in Marthae commendatione cedit, illud discrimen observandum tradit inter eos qui Deo servant, et inter eos, qui regibus, aut principibus huius mundi ministrant. Abhorrent isti omnem societatem, neminemque participem in labore volunt habere; si autem contingatur illis aliquis socius, aegre, et moleste ferunt, verentes ne eis adimatur familiaritatem cum principibus, et amicitiam: ideo soli esse gaudent, et multa officia exercere, ut ipsi soli lucrentur. At vero servi Dei multos volunt se adiuvari in Dei servitio, ut participes etiam fiant ipsius boni. Sic Moyses Aaron petit, cum mitteretur ad Pharaonem, et cum esset dux filiorum Israel in deserto, dixit Domino (*Exod. 4*): *Non possum solum sustinere omnem hunc populum, aliquid illi dedit illi Dominus septuaginta viros, qui cum adiuvarent.* Sic Indas dixit Symeon fratri (Num. 11): *Ascende mecum ad sortem meam; nunc tamen multos reperies, qui etiam magna sint onera, et nulla, ea tamen suscipiunt, neque quemquam sociam volunt.*

Alii vero Patres, et graves doctores, opinati sunt, verba illa Marthae (*Luc. 10*): *Domine non est tibi curae, quod soror mea reliquit me solum ministrare?* aut murmuratoria fuisse con-

tra sororem, quod illam adiuvari negligeret, aut incusatoria Christi, quod ita fieri pateret, nec praeciperet ei, ut adjuvaret. Unde divi Bernardi haec sunt verba (*serm. 5. de assumpt.*): *Non miremur, si quoniam laborantem, et bene operantem adversus fratrem vocantem murmurare videamus, quia hoc in Evangelio legitimus, Martham fecisse adversus Mariam.* Quod autem Maria quandoque murmuraverit adversus Martham, eo quod eius actionibus implicari vellet, nunquam omnino reperitur: neque enim utrumque simul agere completeret sufficeret, et curis scilicet exterioribus deservire, et internis sapientiae desideris vacare. De ipsa quippe sapientia scriptum est (*Ecl. 38*): *Et qui minoratur actu, sapientiam percipiet.* Propterea Maria sedet, immolatae manet, nec vult interrumpere silentii quietem, ne incundam amittat contemplationis dulcedinem; praesertim cum intus audiat Dominum dicentem (*Psal. 45*): *Vacate, et videte, quoniam ego sum Deus.*

Nicolaus de Lyra, divo Bernardo consentiens (*sup. cap. 10. Luc.*), haec ait: *Invenitur quidem Maria accusata tripliciter, eo quod Christum tegit verubentem, ut dictum est (Luc. 7). Item a Iuda de prodigalitate, eo quod pretiosum unguentum effudit, et pedes Iesu unxit, ut habetur (Joan. 12). Tertio a sorore de otiositate, ut hic habetur. Ubique tamen Maria tacuit, et Christus eam excusavit.*

Eruditus auctor Maldonatus (*sup. cap. 10. Luc.*) Martham incusasse Christum his verbis indicat: *Non tam mirabatur, sororem suam verbis Domini delectatam, omnium aliarum rerum oblitam, ad pedes eius fixam haerere, quam Dominum ipsum, rem, ut illi quidem videbatur, indignam pati, ut Maria, sorore sua maiore natu ministrante, otiosa quodammodo, et sine cura sederet.*

Alii tandem, tametsi personam Marthae, et eius intentionem salvent; verba tamen eius, *Domine, non est tibi curae, quod soror mea reliquit me solum ministrare?* dic ergo illi, ut me adjuvet, multiplicem imperfectionem involvere asserunt: tum quod speciem habeant accusationis, et querelae: tum quod Marthae ostentent diligentiam, Mariae vero desidiarum, et incuriam notent: tum quod quandam invidiam praeserant, eo quod apud Christum soror eius gratiosior, et gratior esse videretur: tum tandem, quod impatienter ferret totum ministerii opus sustinere. Sane ego nulla ratione duci possum, hos defectus in Martham tunc irrepsisse, cum ex ardenti amore, et reverentia erga Christum in illa verba prorumperet, desiderans pro se, et per alios tanto hospiti inservire. Illud tamen non solum mihi persuadeo, sed experientia comperio, plerumque esse, qui videntur alios rerum divinarum contemplationis deos, tumultuosa huius saeculi negotia nec curare, otiosos homines eos appellant, praesertim Ecclesiasticos, et monachos: persimiles sane in hoc Aegyptiis illis, de quibus legitimus, quod volentibus filiis Israel vero Deo suo sacrificare, ac debitum cultum ei exhibere, ipsi dicebant (*Exod. 5*): *Vacatis otio, et propterea cultus sacrificare.* Hi plane ignorant spirituale

exercitium tanto fore exteriori excellentius, quanto spiritus corpus praecellit. Unde Apostolus Timotheo suadebat (1. Tim. 4): *Exerce te ipsum ad pietatem, nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est; pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens quae nunc est vitae, et futurae.* Caveant ergo hi murmuratores, ne servos Dei temere iudicent; verba d. Pauli (*Rom. 14*) ascultantes: *Quis es tu, qui iudicas seruum alienum? sed potius ad se convertentes, vitam suam explorant, ad imitationem illorum sacerorum animalium, de quibus dicitur, quod coram facie sua ambulabant; hoc est, vitam suam, non alienam explorabant, et discutebant. Id enim proprie est coram facie sua ambulare. Perlinescent etiam hi murmuratores, ne divinum ipsorum similem illi, quam Israelitae sustinuerunt, litem in caput suum experiantur. Filii quidem Israel, ut legitimus (Num. 21) in deserto, itineris tedio fatigati, adversus Deum, et Moysen obmurmurare coeperunt, quod ipsos ab Aegypto in illam solitudinem induxisset. Quo quidem scelere ita Dominus offensus fuit, ut ignitos serpentes in illos immitteret, qui venenato morsa eos impeterent, qui optimi ducis sui vitae detrahebant: ut quemadmodum Aegyptii interempti fuerant, qui aquis infantis Hebraeorum interfecerant, ita isti serpentum morsibus perirent, qui viti sanctissimi vitam mordebant: et a serpentinis peterent, qui serpentum malitiam sectabantur. Alii namque Salomon (*Ecl. 10*): *Si mordet serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulit detracti.* Sunt quidem detractores instar corvorum, qui quaerunt serpentes, et viperas venenatas, et eas eduentes ex latibulis suis devorant, alique consumunt; ita isti rodunt defectus, et errata proximorum suorum, et ea omnibus manifestant.*

§. VI.

RESPONDENS, DICIT DOMINUS: MARTHA, SOLICITA ES, ET TURBARIS ERGA PLURIMA.

Divus Augustinus (*serm. 26. de verb. Dom.*), ex pendens geminam illam vocem: *Martha, Martha*, ait: *Repetitio nominis est inditium dilectionis, aut forte movendae intentionis, ut audivit attentus.* Hinc Dominus amico suo Moysi (*Exod. 3*) repetitio nomine eum vocavit: *Moses, Moses.* De inimicis tamen suis et contra ait: *Nec memor ero nominum eorum per lobia mea.* Unde narrans Christus Dominus historiam divitis Epulonis, et Lazari pauperis, illius nomen reticuit, huius expressit. Quia igitur datus erat Christo nomen famulae, qua Marthae, idcirco non semel, sed iterato dixit ei: *Martha, Martha.* Vel certe usus est ea nominis repetitione ad excitandam illam, ut attenderet suo defectui, ut his verbis docuit d. Bonaventura (*sup. cap. 10. Luc.*): *Ideo nomen Marthae ingeminat, ut eam excitet ad considerandum defectum proprium, ut hoc cum divini verbi atten-*

tione: sicut de Moysa dicitur, quod cernens Dominus, quod pergeret ad videndum, vocavit eum de medio rubi, et ait: Moyses, Moyses. Et Dominus volens excitare peccatores ad attentionem, iterat vocacionem: terra, terra, quia sermonem Domini; et sic nunc excitat Martham, ostendens in ea esse triplicem defectum, scilicet solitudinis in cogitatu, tribulationis in affectu, et divisionis in actu: ut ista omnia impediant nos, ut totaliter tendamus in Deum. Unde omnia sollicitudo est vitanda, secundum illud: Nihil solliciti sitis, sed in omni oratione, etc. petitiones vestrae immutescant apud Deum; et Petrus: Omnem solitudinem vestram proficientes in eum, quoniam ipsi est cura de vobis. Vitanda est etiam turbatio: Non turbetur cor vestrum: creditis in Deum, et in me creditis; unde et de Christo Isaias: Non erit tristis, neque turbulenti; oculus enim turbatus non est ad videndum idoneus. Vitanda est etiam divisiō; unde dicitur: Fili ne in multis sint actus tui; et haec incommoda habet vita activa, non contemplativa. Quare dicit Paulus (1. Corinth. 7), qui cum vovore est, sollicitus est, quae sunt mundi, quomodo placeat vovori, et divisis est; et mulier inupta, et virgo cogitat, quae Domini sunt, ut sit sancta corpore, et spiritu: quae autem nupta est, cogitat, quae sunt mundi. Sic ergo humilitate est actionis importunitas per ostensionem sui incommodi, sive defectus; haec dicitur a Bonaventura. Advertere tamen oportet hoc loco minime Christum Dominum reprehendisse ministerium, et hospitalitatem Marthae, ut his verbis observavit d. Augustinus (serm. 29. de verb. Dom.). Quid enim? putamus eos reprehensum esse ministerium Marthae, quam cura hospitalitatis occupaverat, quae ipsum Dominum hospitio receperat? quomodo recte reprehendebatur, quae tanto hospite laetabatur? Hoc si verum est, dimittant homines, quod ministrant egentibus: eligant sibi partem meliorem, quae non auferretur ab eis: vacent verbo, inhiant doctrinam dulcedini; occupentur circa scientiam salutarem. Nihil eis curae sit: quisque peregrinus in vico sit, quis egeat pane, quis indumento, quis redimendus, quis sepiendus. Vacent opera misericordiae, uni instetur scientiae; haec d. Augustinus. Quamvis autem Christus Dominus illis verbis: Martha, Martha, sollicita es, et turbata erga plurima, pium hospitalitatis ministerium minime reprehenderit; multi tamen Patres putant, reprehendisse aliquos illius circumstantias. Nam in primis divus Iohannes Chrysostomus (homil. 43. in Iohannem) dicit, esse reprehensam eo quod temporis rationem non habuit: sic enim inquit: Quod ad Martham locutus est Iesus, non in operando reprehensibilem dicit, sed quod tempus considerandum sit, et distribuendum, ne audienti verbi Dei occasio in carnalium rerum cura consumatur. Non ergo desiderium laudat, sed ad audiendum allicit. Venit, inquit, ut vos docerem; tu autem circa prandium occuparis. Variis ciborum generibus me vis excipere? alium cibum para, sermōibus meis attende, sororis desiderium imitare. Neque redarguebat Iesus hospitalitatem, absit: sed doctrinae tempore, alius non esse vacandum negotiis, admonerat; haec Chry-

sost. D. autem Gregor. (lib. 5. in lib. Reg. cap. 4) docet circumstantiam reprehensam a Christo Domino in hoc loco minime esse solitudinis in rebus temporalibus: verba eius sunt haec: Quia in ipsis, quae activae vitae deseruiunt, nimietas solitudinis cohibenda est, Martha reprehenditur, quae iam sollicitam esse exhibet, ut erga plurima turbetur. Actionis quidem fervor tunc recte disponitur, cum sic insistentis operi, ut tranquillo corde eum cui opera nostra consecrare nitimur, imitari videamur.

Theophylactus (super c. 10. Lucae) sic loquitur: Iesus nihil prius dixit Marthae, quam ab illa perstringendi numeret occasionem; postquam enim illa avelleret tentavit sororem ab auditu, tunc illi praeferebat divinum auditum. Immo, si accuratius dicendum, non hospitalitatem prohibet Dominus, sed varietatem, ac turbam, hoc est, distractionem, et turbationem.

Cardinalis Toletus (super cap. 10. Lucae) sententiae divi Gregorii consentiens, haec (in commentario) scripsit: elucidans praedicta verba: Martha, Martha, etc. Respondet Dominus ad tria, nimirum ad causam, quae inducitur Martham ad incusandam sororem, petendumque ipsius in ministrando iucamen, et ad ipsam accusationem, et demum ad petitionem. Ad primum quidem respondet dulci quadam reprehensione: laxat namque eam, non facti, quia bonum, et laudabile erat; sed nimietatis in rebus, et superfluae solitudinis, dicens: Martha, Martha, sollicita es, et distraxeris in multis, plusquam oportet, praeparandis. Si pauciora, et quae satis essent, parares, non ita sollicita, et distracta esses: modum ergo non tenes, nec in solitudine, et distractione, nec in ipsis rebus, quae ad escam praeparas. Turbatio, et distractio multis causa erat solitudinis nimiae; haec cardinalis Toletus. Ego tamen arbitror, verba Christi Domini ad Martham non fuisse reprehensoria, quasi ministerium Marthae, aut aliqua eius circumstantia fuisset peccaminosa: nam cum ipsa miniam illam, quam vocant solitudinem, ex magno Christo inserviendi affectu procedentem; et turbationem illam erga plurima, quam vita activa secum affert, propter Christum sustineret; quae honorifice, ut decebat tantum hospitem, tractare satageret, minime reprehensione, sed laude digna erant. Sunt ergo verba illa Christi Domini non increpatoria, sed doctrinalia, sicut et illa dicta ad Virginem (Ioan. 2): Quid mihi, et tibi est mulier? nondum venit hora mea: et illa (Luc. 2): Quid est, quod me quaerebatis? nesciebatis, quia in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse? Quare Christus Dominus solum per illa verba significare voluit imperfectionem vitae activae respectu contemplativae: et ideo subiunxit (Luc. 10): Maria optimam partem elegit. Per illa enim verba in hoc sensu accepta sufficienter respondit petitioni Marthae: nam cum ministerium vitae activae, quod illa exercebat, esset solitudinis, et turbationis tribulus

involutum; ministerium autem, si illa fas est loqui, vitae contemplativae mentis quietem secum ferret, et intentam in Deum solum animam redderet; non debebat Maria a quietis tranquillitate cessare, ut solitudinem, et inquietudinem vitae activae Marthae erga plurima vacare. Nec certum est, ut quidam putant ex verbis illis, Turbaris erga plurima, culpam alicquam a Christo exprobrari, cum non omnino turbatio in sacris litteris culpam denolet: quimmo non semel reperiamus laudabilem, et meritoriam esse, ut patet tum in beata Virgine, de qua d. Lucas (c. 1) dixit: Turbata est in sermone eius: tum in Christo Domino, de quo Evangelista ait (Ioan. 11): Turbavit se wetipsum, et alibi (Ioan. 12): Anima mea turbata est.

Porro iam audiamus praecleara quaedam quae d. Bernardus, proposita verba elucidans (serm. 3. de assumpt.) scribit: Quibus convenientius videtur aptandum, quod Dominus ait: Martha, Martha, sollicita es, quam praelatam, si tamen digne in solitudine praesentem? Aut quis turbatur erga plurima, nisi qui et Mariae vacantis, et Lazari poenitentis, sed et ipsorum, quibus onera sua partitur, universa incumbit sollicitudo? Vide Martham sollicitam, vide Martham erga plurima turbatam. Apostolum loquor, qui praelatos solitudinis admonens, gerit ipse solitudinem omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, inquit, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror? Suscipiat igitur Martha Dominum in domum suam, cui nimirum credita est dispensatio domus. Mediatrica est, ut sibi pariter, et subiectis salutem obtineat. Suscipiat gratiam, sicut scriptum est: Suscipiant montes pacem populo, et colles iustitiam. Suscipiant et ceteri coadiutores eius singuli pro qualitate ministerii sui. Excipiant Christum, serviant Christo, ministrant ei in membris suis. Ille in infirmis fratribus, ille in pauperibus, ille in hospitibus, et peregrinis. Quibus illa sollicitus circa frequens ministerium, videat Maria quemadmodum vacet; et videat, quoniam suavitatis est Dominus. Videat, inquam, quam devota mente, quam tranquillo secede animo secus pedes Iesu, providens eum semper in conspectu suo, et verba ex ore eius excipiens: cuius et aspectus delectabilis, et eloquium dulce.

Quid plura? ea tantum referam quae Archiepiscopus Valentinus vir doctrina, et sanctitate insignis (serm. de assumpt.) in haec eadem verba: Martha, Martha, sollicita es, et turbata erga plurima, scripsit: Quoties, inquit, profunda meditatio, irradiante Deo, veluti ex alta specula, studia hominum, cogitatus, et opera diligentius intueor: quoties vagos eorum discursus, et superfluos labores attentius inspiro; viae me continuo a lacrymis prae dolore, videns filiorum Adam errorem, coecitatem, tenebras, et inutilem vacationem. Quis enim non dolet, quis non misereatur tantam hominum multitudinem tam impie delusam atque frustratam, ut sine causa conditi esse videntur? Cuius, inquam, viscera non rumpantur, et cor moerens sanguinis guttas non effundat, cum ingenuam creaturam, propter quam astra coeli, maria, elementa, et cetera omnia orbis huius cor-

pora condita sunt, videat densissimis tenebris involutam, penitus nescire quo vadat? Omittit nunc Paganorum, Iudaorum, miserorum Haereticorum gentem innumeram, in quibus aeterna damnatio reservatur: quibus utique melius fuisset non nasci, cum ad nihil aliud nati viderentur, nisi in combustionem perpetuam, et cibum ignis. Ex his, quae sacra fides instituit, et illuminavit ad vitam, perarros ubique reperis, qui veri, et aeterni boni desiderio teneantur, qui utili officio vitam expendunt; sed alios acquirendo divitiis, alios ampliandis honoribus, alios perfrueudis voluptatibus implicatos, vanitatisque deditos, lussisse vitam, impensamque, et operam perdidisse. Quam improbo labore, quanta cura, et anxietate umbratiles istas bonorum formas, fatesque rerum imagines, et phantasmata persequuntur? quam ardentem cupiditatem, et desiderio viles carduorum lanuginis, insensenturum puerorum more, per aera volitantes insectantur, et super his obtinendis, inveniendis, et acquirendis quam stulte, emiserabilem vacillant? O curas hominum, o quantum est in rebus inane. Filii hominum, usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, et quaeritis mendaciam? Usquequo, inquam, parvuli diligitis infantiam; et stulti, et quae sunt noxia, cupitis? Quam pulchre olim de his praedixerat Isaias propheta dicens: Opera eorum, et opera inutilia: telas araneas texerunt. Telae eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis. Videmus araneae viscera, et exinaniri, ut telam faciant: quam cum multo labore, et assidua opera exorsae fuerint, a modico vento dissipatae, in nihilum diuturnus ille labor evanuit: quae tamen, etsi diu permanent, ad nihil aliud utiles sunt nisi ad capiendas muscas. Talia sunt mortalium opera, huiusmodi sunt istorum labores: non erant illis telae eorum in vestimentum, sed in confusionem, et nuditatem, et exitium sempiternum. Qui comparabimus homines istos, aut cum assimilibus eos? similes sunt profecto propellentes praegrandem scopulorum, et indefesso labore montem altissimum frustra, et sine causa scrobibus planare conatur. Quos si quispiam viator sensatus viderit, inutiliter desudantes, aut miseracione commotus, lacrymas fundat, aut risu percitus, in cacatinum erumpit. Talis est vita hominum, fratres: similes sunt hi, quos mundus potens, et chordatos, et sapientes vocat: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Proh dolor, corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in studiis suis: non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum. Dominus de coelo prospexit super filios hominum, ut videat, si est intelligens, aut requirens Deum: omnes declinaerunt, simul inutiliter facti sunt. Contritio, et infelicitas in vis eorum, et viam pacis non cognoverunt. Felix, cui Deus aperuit oculos, ut videat veritatem, et qui fugit vanitatem. Conatur Salomon in Eccles. reducere homines ad cor, ut intelligat fallaciam, quam sequuntur: ne videat frustra laborare sub sole, et brevissimo vitae suae tempore inaniter conerantur. Proponit in corde suo diligenter inquirere rationes, et causas re-

rum, et investigare sapienter, quid expediat homini sub sole, quo facto opus sit omnibus diebus vite sue: qui cum ingenio, et sapientia omnes mundi homines antecelleret, omnibus sæculi bonis, quæ homines desiderare possunt, solerti experientia perlustratis, cum vacua omnia reperisset, clamat ad cæteros: Vanitas vanitatum, fili Adam, vanitas vanitatum, et omnia vanitas. Quid miseri fallaces hæc honorum umbras tam anxie complectimini? credite sapienti, credite experto, credite doloso. Vidi omnia, probavi omnia, et nihil in eis reperi præter laborem, anxietatem, amaritudinem, et dolorem. Quis unquam ab initio cunctis operibus abundavit, ut ego? Nemo sic honoratus, nemo sic dilatus, nemo sic dilectus, nullus unquam sic in orbe celebratus, nullus a gentibus cum tanta reverentia, et admiratione cultus. Abundavi divitiis, magnificavi opera mea, aedificavi mihi domos, et plantavi vineas: feci hortos, et pomaria, et conseci ea cuncti generis arboribus, et extruxi mihi rivos aquarum, ut irrigarem sylvam lignorum viridantium, et germinantium. Possedi serenos, et ancillas, multaque familiam habui: armenta quoque, et magnos ovium greges ultra omnes, qui fuerunt ante me in Hierusalem: coarctavi mihi argentum, et aurum, substantiarum regnorum, et provinciarum: feci mihi cantores, et cantatrices, et ceteras filiorum hominum: scyphos, et urces in ministerio ad vina fundenda. Denique omnia, quæ desideraverunt oculi mei, non negavi, neque prohibui cor meum, quin omnino voluptate frueretur: quadraginta millia eorum in stabulo meo habui, et plusquam trecentas feminas in deliciis. Quis ita vocavit delicis affluens, sicut ego? Rex potens, pacificus, sapiens, gloriosus: et tamen quid dicam vobis, o filii hominum? Vanitas vanitatum, et omnia vanitas. Omnia quæ desideratis, habui: omnia, quæ concupiscitis, expertus sum. Nolite decipi, nolite errare, credite mihi, nulla in eis felicitas, nulla societas. Nihil est in eis, nisi vanitas, et afflictio spiritus. Quod si sapienter, et experto factis adhibenda est, dicam tibi, o homo, quid expediat tibi sub sole: Deum time, et mandata eius observa, hoc est omnis homo, hoc solum utile iudicavi: cetera omnia vanitas, et afflictio spiritus. Omnes ergo, ut ait propheta, declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Non est, inquam, qui bonum illud necessarium perquirat, et exequatur, in quo solo salus, et vita hominis posita est. Omnes circa multa distrahuntur, et occupantur, in quibus non est, nisi vana etia spiritus; hæcenus Archiepiscopus Valentinus.

§. VI.

PORRO UNUM EST NECESSARIUM.

Variae, ac multiplices circumferuntur Patrum opinioniones circa proposita verba. D. Basilii (in reg. fus. disp. inter. 2), d. Cyrillus (comment. in hunc loc.), ut refert d. Thomas (in sua Cat.), et

Titus Bostren. (super hunc loc.), arbitrantur, Christum Dominum taxasse multitudinem ciborum, quæ causa erat nimiae sollicitudinis, et distractionis. Quare perinde fuit dicere: Porro unum est necessarium, ac si dixisset: superflua est sollicitudo erga plura fœcula paranda, cum unum tantum sit necessarium, et sufficienti ad humanæ vite sustentationem, et unum fert commune proverbium: Paucis natura contenta est.

Venerabilis Beda, et Euthymius, quos et alii sectati sunt (in cap. 10. Luc.), interpretantur hoc unum esse verbum Dei audire, Quæ sententia, licet multis ab scopo aberrare visa fuerit, mihi non videtur a mente Christi Domini aliena. Opponit Christus studium Mariæ studio Marthæ: Maria hoc unum curabat, ut Christum audiret, et ab eo salutem suam quaereret; Martha, ut Christo in rebus externis omnibus, quibus poterat, ministraret. Illud unum necessarium esse dicit, hæc multa non necessaria; non quod hæc non sint aliquando necessaria, nam et corporis moderata habenda cura est; sed quod illud per se, hæc non nisi quatenus ad illud referuntur, curari debeant, et illud sine his satis sit, hæc sine illo non sunt (Matth. 16): Quid enim prodest homini, si universum mundum lucratur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? aut quam debet homo commutationem pro anima sua?

Divus Augustinus (serm. 29. de verb. Dom.), necnon divus Bonaventura (in comm. huius loc.), per hoc unum, quod Dominus dicit necessarium, intelligunt charitatem, per quam fideles amoris vinculo sunt unum cum Christo, et inter se: verba divi Augustini hæc sunt: Unum necessarium est: non unum quasi singulare opus, sed opus est, expedit, necessarium est. Quod unum elegerat Maria, unum cogitavit fratres mei, et videte in ipsa multitudine, si delectat nisi unum. Ecce, Deo propitio, quam multi estis. Quis vos ferret, nisi unum sciretis? unde in multis ista quies? da unum, et populus est: tolle unum, et turba est. Quid est enim turba, nisi multitudo turbata? Sed audite Apostolum: Obsecro autem vos fratres, multitudinem dicat, sed omnes in unum facere volebat. Obsecro autem vos fratres, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia; et alio loco: Unanimes, unum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam; et Dominus ad Patrem de suis: Ut sint unum, sicut et nos unum sumus; et in actibus Apostolorum: Multitudinis autem credentium erat anima una, et cor unum. Ergo magnifice Dominum mecum, et exallemus nomen eius in unum, quia unum est necessarium, unum illud supernum, unum ubi Pater, et Filius, et Spiritus sanctus sunt unum. Videte nobis commendari unitatem: Certe Trinitas, est Deus noster, Pater non est Filius, Filius non est Pater, Spiritus sanctus nec Pater est, nec Filius, sed amorum spiritus; et tamen ista tria, non tres omnipotentes: sed unus omnipotens, et ipsa Trinitas unus est Deus, quia unum necessarium est. Ad hoc unum nos non perducit, nisi multi habeamus cor unum; hæc divus Augustinus.

Divus autem Bonaventura, quamvis in prioribus verbis videatur, hoc unum referre ad beatitudinem, revera tamen loquitur de beatitudine non patriæ, sed vite, quæ in unitate charitalis consistit: sic enim loquitur: Porro unum est necessarium: hoc scilicet, est regnum Dei: quo habito, nihil deest. Unde Matthaëus: Querite primum regnum Dei, et iustitiam eius, et hæc omnia adicientur vobis: et (in Psal. 26). Unam petii a Domino, hæc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vite mee. Ista tantum est vita beata, quæ est in Dei adhaerentia, cui vacat contemplativa: in cuius persona dicitur: Mihi autem adhaerere Deo bonum est, et hoc est, illud unum, quod est necessarium: quia qui adhaeret Domino, unus spiritus est, sicut dicitur: hoc unum qui habet, habet omne bonum; unde et in figura huius dicitur: Omnia simul in te uno habentes, te non debuius dimittere a nobis: et Sapiens ait: Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, etc.

Divus Gregorius (in 1. lib. Reg. cap. 4), et divus Augustinus (serm. 2. de verb. Dom.), hoc unum referunt ad finem ultimum, et summum unicuique bonum; et licet divus Bernardus per hoc unum, quod Christus ait, esse necessarium, intelligat gratiam, et charitatem, sicut et ceteri Patres, per quam multi sunt unum simul; tamen per hoc unum significari arbitrat unum illud bonum, quo beati in gloria sunt unum, et ad quod mens nostra est dirigenda, non distrahenda: verba eius singulari eruditione plena (serm. 5. de assumpt.) hæc sunt: Porro erga hæc plurima turbaris, sed unum est necessarium: nisi enim opus tuum in unitate feceris, Deo qui unus est, acceptum, teste ipso, profecto non erit. Scriptum quippe est: Non est, qui faciat bonum, non est neque ad unum. Hinc est, quod in illa piscina movebatur aqua, et sanabatur unus. Hinc est, quod decem leprosis mundatis, unus regressus est, cum magna voce magnificans Deum: cui etiam Dominus, ceteris reprobat, testimonium laudis adscribit, dicens: Nonne decem mundati sunt, et novem ubi sunt? Non est inventus, qui rediret, et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Paucius quoque ait: Omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium. His itaque, et aliis quamplurimis sacrarum Scripturarum eloquiis perspicue docetur, quam unitas probabilis sit: maxime autem ex presentibus locis, ubi Dominus ait: Porro unum est necessarium. Sed sciendum, quod alia est unitas sanctorum, quam ex Scripturis iam commendavimus: alia est facinorosorum, quæ nihilominus ex iudem Scripturis ostenditur, et improbat. De hac enim scriptum est: Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum eius. De hac iterum Evangelista: Advenies Pharisæi, consilium iniuravit, ut caperent Iesum in sermone: et iterum: Collegerunt Pontifices, et Pharisæi concilium; ut quid hoc? sicut Ioannes testatur, ut interficerent Iesum, Quam vero pertinax sit ista reproborum unitas, docet ipse Dominus, qui de corpore diaboli ad beatum Iob loquitur, dicens: Corpus illius, quasi scuta fastidia, et compactum squamis se prementibus: uno uni coniungitur, et ne spiraculum quidem in-

cedit per eas: una alteri adhaerebit, et lenentes se, nequamquam separabuntur. Talis unitas, imo vero perveritas solet esse atque fratrum tepide, ac remisse conversantium: quibus si quid honestatis, aut insignie cuiusquam bonæ consuetudinis persuadere velis, promptiores sunt majori despicio ac diffucillitate graviore resistere, quam facili compendio assequi velis quod rectum esse contulerit: perversa, et evertenda talis unitas. Hæc ergo a cordibus, et sermonibus nostris excluda, illam quæ bona est, et tantum honorum est, prosequamur; et ipsa gemina est: alia est enim quæ iustificat, alia quæ glorificat: illa meritum, ista præmium est. Denique de illa scriptum est: Multitudinis credentium erat cor unum, et anima una. De hac autem: Qui adhaeret Domino, unus spiritus est: et quoniam in futuro magis speranda est, res est enim futuri temporis magis, quam presentis, eam interim omitamus, et a Deo speremus potius, quam tractemus. Illam vero, quæ iustificat, quæ etiam magis potissimum necessaria est, in usum nostrum operis assumamus. Ipsa est enim Deus suavitatis, quam dulcedine suæ insonat Psalmista: Ecce quam bonum, et quam iucundum habitare fratres in unum. Cuius unitatis cum descripsisset sermo propheticus pulchritudinem, eius etiam non tacuit utilitatem: Quoniam illic, inquit, mandavit Dominus benedictionem, et vitam: hic scilicet benedictionem, et in futuro sæculo vitam æternam. Ipsa est, inquam, unitas, quam summa diligentia obsecrandum tradidit Apostolus dicens: Solliciti serare unitatem spiritus in vinculo pacis. Seratur autem hoc unitatis bonum duobus modis ab his, qui curam gerunt servandi: debet quippe perfectus unitatem habere ad seipsum, debet et ad proximum: ad seipsum, per integritatem, ad proximum, per conformitatem. Omnis quippe creatura, et maxime rationalis, debet suum principium imitari. Si ergo Deus noster unus est, dicente Moysi: Audi Israel: Dominus Deus tuus unus est; sed et ille cum sit unus, et idem atque in seipso perfectus, nec ullo indigens, inest ei tamen benignitas erga nos, et amor ex benevolentia in nos veniens, debemus et nos quisque sibi unus esse, per integritatem virtutis, et unum cum proximis, per vinculum dilectionis; hæcenus divus Bernardus.

Alii tandem recte putant per hoc unum intellexisse Christum Dominum tranquillitatem, et pacem animi, quam contemplationi vacans adipiscitur, e diametro oppositam turbationi, quam in ministerio vite activæ Martha sustinebat. Quam expositionem non obscure indicat, quod illud unum, quod Christus Dominus necessarium esse dixerat, optimum partem appellavit, per quod omnes fatentur prætulisse vitam contemplativam activæ. Ego sane in tantorum Patrum, et gravissimorum doctorum opinionum varietate, illud solum addendum duxi, verba Christi Domini tot sacramentorum gratia esse, ut facile mihi persuadeam, omnes illos sensus complexum fuisse, nullumque illorum ab eis mente fuisse alienum.

§. VII.

MARIA OPTIMAM PARTEM ELEGIT, QUAE NON AUFERETUR AB EA.

Quia multi perperam autumant, verba illa nullam importare comparationem, nonnulli secuti divum Augustinum (serm. 26. de verb. Dom.) et Cassianum (lib. 1. coll. c. 8) vertunt; Maria meliorem partem elegit. Quibus consentiens Philastrius in haeresi veteris testamenti multa improbande legit: Maria maiorem sortem elegit. Ceterum ita planum d. Ambrosio visum est (serm. 11. in Psalm. 118). Dominum per comparationem fuisse locutum, ut diceret, verbum cognoscere, maius esse quam ministrare. Divinae auctoritate sententiae definitur id, quod adeo verum esse censeo, ut nihil prorsus referat ad hanc veritatem adstruendam, si legatur: optimam, meliorem, vel bonam partem elegit. Unde Graecus interpres, omissio comparativo, et superlativo, usus est positivo, dicens: Bonam partem elegit. Est autem frequentissimus usus in sacra Scriptura, ponere positivum pro comparativo: etenim d. Paulus (1. Corin. 7): Dico nuptis, et viduis: bonum est, si sic permanserint; id est melius est: et (in Psalm. 113): Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine: bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus: et (Eccles. 20): Quam bonum est arguere, quam irasci. Sic enim anodot Euthymius positivum hoc loco vim habere comparativi, iuxta praxim hebraicam. Etenim quia Martha Mariam a proposito removere tentabat, quasi praefereis officium suum officio Mariae, Christus Dominus, oblata occasione, docuit eam, et nos omnes in illa, munus Mariae praefereendum esse ministerio Marthae. Quo exemplo Apostoli (Act. 6) praefulerunt praedicationem verbi ministerio erga pauperes, dicientes: Non est aequum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis. Quare sensum germanum verborum Christi hunc esse censeo: Martha, non est, quod quaeris de sorore, quod solum te reliquere ministrare, quasi in hoc minus bene fecerit. Scito optimam partem elegisse sororem tuam: bonum est, quod tu facis, melius tamen quod facit Maria: praestat spirituale corporali, et cibi mensis cibo corporis. Videtur plane mihi Christum Dominum nomine partis huius utentem, aple satis metaphoram sumpsisse ab haeredibus, quorum maior natu, apud Romanos quidem, et apud multas deinde gentes, haereditatem in partes, quam maxime poterat, aequales, dividebat; minor vero accipiebat quam volebat primus, ut auctor est Seneca. Nam nomen, quo usus fuit Evangelista, Graece est in sacris litteris, haereditas proprie partem significat, Pars mea, Deus, in aeternum, et haec est pars hominis impii; et alia sexcenta, quae lectori passim occurrunt, quae ex Hebraica phrasi ad verbum expressa sunt *chelek*, quod proprie de haereditate dici solet. Conveniebat hoc in Martham, et Mariam:

nam et sorores erant, et Christum, quasi haereditatem suam dividebant: altera enim in ipso, altera extra ipsum, eum quaerebat. Martha maior natu, quodammodo fecerat partes; et Maria natu minor, cuius erat eligere, optimam elegit partem: quia Christum in ipso, non extra ipsum elegit.

Restat iam, ut sequentia verba explicemus: Quae non auferetur ab ea. Cardinalis Toletus sic exponit illa: Haec pars, inquit, Christus, quae est ad meos pedes sedere ad audiendum verbum, non auferetur ab ea. Quasi aperit diceret: nunquam ego illi dicam, ut deserat quod facit, et adiuvet te. Non debet, quod minus est, dimitti propter id, quod minus est. Hanc novam expositionem, quam nullius antiqui doctoris auctoritate confirmat cardinalis Toletus, licet alioquin non improbabilem, mirum valde doctissimum Maldonatum (in comm. lvi. loc.) acriter adeo dilacerasse, ut non veretur, illam vocare ridiculam, ineptam, et ex mente Calvinii ortam: verba eius sunt haec: *Ridicula mihi, et inepta interpretatio videtur, quae Calvino valde acuta visa est. Sic enim exponit, quasi Christus respondeat ad ill, quod Martha rogarat: Domine non est tibi curae, quod soror mea reliquit me solum ministrare? dic ergo illi, ut me adiuvet. Sensusque sit: nolo dicere, ut te adiuvet: optimam enim partem elegit, a qua eam non decet renovere, ut corporali vacet ministerio. Non auferetur ab ea: id est, non patietur, ut auferatur, non patitur, ut a me discedat, ut adiuvet te nimis in ministrando sollicitam, et occupatam.*

Verum ego non iudico hanc expositionem tam gravi censura dignam, quin potius censeo illam probabilem. Etenim cum Martha peteret a Domino, ut Mariae iuberet ab audiendo verbo desistere, eamque in ministerio invare, respondit Dominus se hoc nolle facere, cum melius, ac perfectius esset hoc, quam id cui Martha incumbebat: *Non, inquit, auferetur ab ea; et vis est in verbo auferendi, quasi diceretur: dum ipsa voluerit, non eam cogam inhaerere, discedere; nec ex hoc inferatur: a te autem auferetur, quod facis. Non hoc inquam sequitur, immo confirmat Martham in eo monendam, ne superfluo labore fatigaret. Erga plurima, inquit, turbaris, cum unum est necessarium. Huic enim, id est, uni cibo praeparandum incumbet, et sola perficies; nec erit opus, quod Maria te adiuvet. Fateor tamen, si rem alius perpendamus, sublimius tendere Christi Domini verba. Volebat quidem, ut docent d. Hieronymus (in cap. 3. *Hiers.*), d. Gregorius (lib. 8. moral. cap. 28. et homi. 14. in *Ezech.*), necnon Beda, et Theophylactus (in comment. lvi. loc.), ex effectu, et fine docere, quid inter Mariae, et Marthae intererit: illa thesaurizabat sibi, ut Christus Dominus ait (Matth. 6), thesaurum in coelo, ubi neque aerugo, neque tinea demolitur: et ubi fures non effodiunt, nec furantur; haec: thesaurizabat in terra, ubi aerugo, et tinea demolitur: et ubi fures effodiunt, et furantur. Unde d. Augustinus praedicta verba exponens (serm. 27. de verb. Dom.), propositam intelligentiam his verbis exhibet: *Attendamus igitur occupationes nostras circa nulla: necessarium est ministe-**

rium corpora refecturis: quare hoc? quia esuritur, misericordia miseris necessaria est. Frangis panem esurienti, quia invenisti esurientem? Tolle famem, cui frangis panem? Tolle peregrinationem, cui exhibes hospitalitatem? Tolle nuditatem, cui praestas vestem? non sit aegritudo, quem visitas? non sit captivitas, quem redimis? non sit rixa, quem concordas? non sit mors, quem sepelis? in illo saeculo futuro non erunt ista mala: ergo nec ista ministeria. Ergo Maria meliorem partem elegit, quae non auferetur ab ea. Hoc enim elegit, quod semper manebit: ideo non auferetur ab ea, circa unum se voluit occupari. *Iam tenebat: Mihi autem adhaerere Deo bonum est. Nec luvat quicquam, ut contendit card. Toletus (praedict. loc.), divum Augustinum loqui secundum sensum spiritualem, non litteralem: nam huiusmodi responsonem aperitissime refellunt verba, quae de Martha loquens, inferius subiunxit dicens: Circa multa occupata. Porro, unum est necessarium: iam hoc sibi Maria elegit. Transit amor multitudinis, et remanet charitas unitatis. Ergo quod elegit, non auferetur ab ea. A te autem, quod elegisti, utique hoc sequitur, utique subintelligitur: a te, quod elegisti, auferetur, sed bono tuo auferetur, ut quod melius est, actur: auferetur enim a te labor, et requies detur: tu necigas, illa in portu est; haec in aere Augustinus. Cuius sententiae adhaerens divus Bonaventura (sup. cap. 10. *Luc.*), ex doctrina glossae inquit: Quae non auferetur ab ea, ex opposito intellige, quod a Martha auferetur pars, quam elegit, quia transit labor multitudinis, et remanet charitas unitatis.*

Ad extremum, quia de vita contemplativa multa in superioribus homiliis ediximus; hoc loco tantum apponam, tanquam ultimos annulos huius aureae calenae, quorundam Patrum testimonium, quibus vitae activae deditus, maxime praedicatoribus, monent non adeo externis occupationibus se involvere, etiamsi bonae sint, ut meditationis, et contemplationis obliviscantur.

Divus Bernardus (lib. 1. de consid. ad Eug.) haec perpetua memoria digna scripsit: *Monstruosa res, gradus summus, et animus infimus, sedes prima, et vita ima: lingua magniloqua, et manus otiosa: sermo multus, et fructus nullus: ingens auctoritas, et nutans stabilitas. Si cor movisti, moranda tibi lingua est, moranda et manus. Si quod visis, et sapias, totum das actioni, considerationi nihil, laudo te? in hoc non laudo. Puto, quod et nemo, qui a Salomone audierit: Qui minoratur actus, percipit sapientiam. Certe nec ipsi actioni expedit meditatione non praecurrit. Si item totus vis esse omnium, instar illius, qui omnibus omnia factus est, laudo humanitatem; sed si plena sit, quomodo autem plena, se excludit? et tu homo es. Colligat ergo te intra sinum suum: atioquin quid tibi prodest, in terra verbum Domini, si universones lucraris, te unum perdens? Quamobrem, cum omnes te habeant, esto etiam tu ex habitibus unus. Usquequodens spiritus, et non rediens? sapientibus, et insipientibus debitores, et soli negas te tibi? stultus, et sapiens, servus, et liber, dives, et pauper, senex, et iuvenis, vir, et foemina, clericus, et laicus, iustus,*

et impius participant te: omnes de fonte publico bibunt de pectore tuo, et tu seorsum siliens tabis? si maledictus, qui partem suam facit deceptorum, quid illi que se penitus reddidit inceptorum? Sane deridentur aquae tuae in plateas, homines, et iumenta, et pecora bibunt ex eis, quia et canelitis pueri Abraham potum tribuas: sed inter ceteras bibo et tu de fonte putei tui. Alimus, inquit, non bibit ex eo; nunquid tu alienus? Denique, qui sibi negavit, cui bonum erit? in mento proinde, non dico semper, sed vel interitum reddere te ipsum tibi; haec divus Bernardus.

Divus Gregorius (lib. 6. moral. cap. 7. tom. 2) haec scribit: *Ingraderis in abundantia sepulcrum dicit: sepulcrum est contemplativa vita, quae nos quasi ab hoc mundo mortuos sepelit, dum a terrenis desideriis susceptis in intimis abscondit. Activa quoque vita sepulcrum est, quia praesens non operibus mortuos legit. Perfectus ergo praedicator est, qui propter contemplationis studium operanda non negligit, vel propter operationis instantiam contemplanda non postponit. Hinc est, quod Abraham coniugem mortuam in sepulcro activae sepelit, quia nimirum perfectus praedicator extinctam a praesentis vitae desideriis animam suam, sub bonae operationis tegmine, et contemplationis abscondit, ut a carnali concupiscentia sub activa contemplatione vita quasi insensibilis valeat, quae prius mundi desideria sentiens, mortaliter urebat. Hinc est, quod Dominus per diem miraculo in urbis exhibet, et ad orationis studium in nocte provocat, ut perfectis praedicatoribus innotet, quatenus, nec activam vitam amore speculationis funditus deserant, nec contemplationis gaudia penitus operationis nimietate contemnant; sed quiete contemplantes sorbeant, quod occupati erga proximos loquentes refundant: speculando quippe in Dei amorem surgitur, sed praedicando ad proximi utilitatem reddatur. Unde apud Moysen, dum in sacrificio vacat maetur, offerri cum hyssopo, lignoque cedrino bis tinetus coecus praecipitur. Vacant quippe maetamus, cum carnem a lascivia suas voluptatis extingimus, quae cum hyssopo, lignoque cedrino ac coeco offerimus, quia cum maceratione carnis sacrificium fidei, spei, et charitatis adolamus. Sed bis tinetus coecus offerri praecipitur, ut videlicet ante interni iudicis oculos charitas nostra Dei, et proximi dilectione coloretur; quatenus conversa mens, nec sic pro amore Dei quietem dilatat, ut curam proximi, utilitatemque postponat: nec sic pro amore proximi occupationi inseriat, ut quietem sanctius desereat, ignem in se superni amoris extinguat.*

Idem divus Gregorius (lib. 6. moral. cap. 18) haec alia praedicta nobis tradit: *Hinc est quod Iacob pro Rachel servavit, et Liam accepit, ei quoque dicitur: Non est consuetudinis in terra nostra, ut minores ante tradamus nuptias quam maiores. Rachel, risus: Lia autem, laboriosa dicitur. Et quid per Rachelen nisi contemplativa, quid per Liam nisi activa vita signatur? Unde et Rachel pulchra, sed stertis: Lia autem lippa est, sed foecunda: quia nimirum mens, cum contemplando otia appetit, plus videt, sed minus Deo filios generat; cum vero ad laborem*

praedicationis se dirigit, minus videt, sed amplius parit. Post Liae ergo amplexus ad Rachellem Jacob pervenit, quia perfectus quisque ante activa vitae ad fecunditatem iungitur, et post contemplativae ad requiem copulatur. Quia enim contemplativa vita minor quidem tempore, sed merito maior est, quam activa, duae mulieres in Evangelio significant, quarum Maria otium contemplationis amans, optimam partem elegit. Sed Marthae cura, in qua activa vita significatur, non reprehenditur, Mariae vero etiam laudatur, quia magnae sunt activae vitae merita, sed contemplativae potiora. Unde nec auferri unquam Mariae pars dicitur, quia activae vitae opera cum corpore transeunt, contemplativae autem gaudia melius ex fine conalescunt. Quod bene, ac breviter Ezechiel propheta exprimit, cum volentia animalia contemplatus ait: Et similitudo manus hominis subtus pennas eorum erant. Quid enim per pennas animalium, nisi contemplationes possimus sentire Sanctorum, quibus ad summa transcolant, et terrena deserentes sese in coelestibus librant? Quid per manus, nisi operationes accipimus? quia cum in proximi amore se dilatant, bona, quae praevalebant, etiam corporaliter administrant. Sed manus eorum sub pennis sunt, quia actionis suae opera virtute contemplationis vincunt; haec ille.

Idem divus Gregorius (l. 1. in c. 1. lib. 1. Reg.), versans, et dilucidans verba illa: Affligebat Annam aemula sua, et vehementer angebat, in tantum, ut exprobraret ei, quod conclusisset Dominus cultam eius, haec etiam erudite subdit: Velut in pace utramque usorem possidet, qui nec tempora contemplationi deputat, nec contemplationis otia per intentionem operis inquietat. Ab aemula autem Anna affligitur, cum immoderata intentio boni operis turbat quietem internae visionis: affligitur, cum ei illa praeparitur, quae esse ignobilior comprobatur: et vehementer angitur, quia electae mentis contemplatio angustatur, dum is, qui in contemplatione sublimium esse desiderat, sese in activae vitae operibus immoderatus dilatat. Mentis quippe visio stringitur, cum impedita occupationibus operum, in illa aeternae lucis immensitate nequaquam dilatatur. Et quia haec vehementer angere dicitur, notandum est, quia etiam boni operis immoderata sollicitudo contemplationi non parum nocet. Phenenna quippe Annam vehementer angit, quia mens, dum activae vitae immoderate impenditur, valde difficile est, ut cum ad disponenda terrena se occupat, in visione coelestium potenter surgat. Cui etiam, velut sterili Phenenna exprobrat, quia dum ex activa vita bonorum operum fructus cito proferimus, ad internae contemplationis gaudia facile pertingere non valeamus. Sterilis ista cernitur, dum rudes de eius fecunditate desperamus. Dum ergo pro fecunditate Phenennam diligimus, Anna affligitur, angitur, et sterilitatis opprobrio notatur: quia dum bonarum actionum sollicitudinem non ea, qua debemus, discretionem restringimus, puritatem contemplationis tanto nobis difficiliorum reddimus, quanto nobiliorem vitam excellenti studio nequaquam retinemus. Porro Anna sebat, et non capiebat cibum. In fletu quippe ardens desiderium diviniae contemplationis ostenditur:

cibum autem fastidiebat, sicut qui dicebat: Romuit consolari anima mea, quia cibum solatii capere de oblectamento rerum conditarum deditur, sed quia epulas deliciarum suarum in Deo invenit, ait: memor fui Dei, et delectatus sum; haec divus Gregorius.

Divus Hieronymus (lib. 3. in cap. 31. Prover. tom. 8) haec nobis tradit in expositione illorum verborum: De nocte surrexit, deditque praedam domesticis suis, et cibaria ancillis suis: Sicut, inquit, totus labentis saeculi cursus perenni diei, ac noctis alternatione variatur, et dies quidem ad operandum, nox ad quiescendum naturaliter condita est: sic totum praesentis Ecclesiae tempus gemino quodam quietis, et operis statu discernitur. Quasi enim nocte quiescit, cum aliqui fidelium eius, intermissa ad tempus sollicitudine externa, subinet vacare, seque ipsos spiritualiter incipiunt curare, vel lectionibus sacris, vel orationibus, ac lacrymis sese, vel aliis huiusmodi studiis secretus exercendo. Surgit autem de nocte, cum in tisdem suis fidelibus ad agenda etiam proximorum curam se solcite accingit. Quod fraternali administrationis opus duobus modis exerceri consuevit: quia et eos, qui foris errabant, ad fidei gratiam convocat: et illos, qui fidei sacramentis iam sunt imbuti, ut bonis operibus amplius insistant, excitare non desinit. Unde bene dicitur: Deditque praedam domesticis suis, et cibaria ancillis suis. Dat namque praedam domesticis suis, cum eos, quos ab antiquo hoste ducendo eripere potuit, societati illorum, qui in fide processere, conciliat. Dat et ancillis suis cibaria, cum humiles quosque, et debito timore sua iussa servantes, ne pio labore lassescant, superna mercedis commemoratione reficit. De nocte surrexit, cum ad operandum se post quietem praeparavit; et itea apte dicitur, quod lucerna sanctae Ecclesiae non exstinguatur in nocte, quia et cum a negotio actionis vacat, liberius luci supernae contemplationis adhaeret; cumque a publicis cessat operibus, curat se ardentius, vel auditus sanctae lectionis, vel laudibus mancipare dicinis, iuxta exemplum mulieris industriae, quae non solum interdiu necessarius, solet instare laboribus, sed et nocte saepius accenso lumine paritem rei familiaris agere curam; haec nobis divus Hieronymus.

Ac tandem divus Augustinus (concone 1. in Ps. 30. tom. 8) exponens titulum illius Psalmi, nimirum: In finem: Psalmus ipsi David, Ecstasis, haec habet: Ecstasis verbum graecum est, latine excessum significans. In excessu vero mentis, duo intelliguntur, aut pavor, aut intentio ad superna, ita ut quodammodo de memoria labantur inferiora. In hac ecstasi mensura fuerunt omnes sancti, quibus arcana Dei mundum istum excedentia revelata sunt. De hoc mentis excessu, idest, ecstasi Paulus cum loqueretur ad seipsum, insinuans ait: Sive enim mente excedimus, Deo, sive temperantes sumus, vobis: charitas enim Christi compellit nos; hoc est: si ea tantum agere vellemus, et ea tantum contemplari, quae mentis excessu intuentur, vobiscum non essemus, sed essemus in supernis, tanquam contemptis vobis. Et quando vos ad illa superiora, et interiora infirmo passu consequeremur,

ni, nisi rursus, compellente nos charitate Christi, qui semetipsum exinanivit; et consideremus, nos esse serenos, et non ingrati ei, a quo accipimus ulteriora, propter eos, qui infirmi sunt; non contemnimus inferiora: et temperemus nos eis, qui non possunt videre sublimia. Tantus fuit excessus Pauli, quando raptus est ad ter-

tium coelum, et audivit ineffabilia verba, quae non licet homini loqui, ut diceret: sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit: et cum talia contempleretur, ad bonum proximorum se accommodans, sobrius erat in illorum bonum, Christi maiorem in omnibus gloriam quaerens, qui cum Patre, etc.

FINIS SECUNDI VOLUMINI